SPECTACVLORVM IN SVSCEPTIONE PHILIPPI HISP. PRIN. DIVI CAROLI. V. CÆS. F. AN. M. D. XLIX. ANTVERPIÆ ÆDITORVM, MIRIFICVS APPARATVS.

Per Cornelium Scrib. Grapheum, eius Vrbis Secretarium, & uerè, & ad uiuum accuratè descriptus.

Eme hæc, lege hæc lector, lege
Perdiligenter, Si id facis,
Me Dij, Deæque exsibilent,
Nisi raptus extra te procul,
Totus nouus fias Stupor.

CVM PRIVILEGIO CÆSAREO
ET APPROB. CANCELL.
Subsig. P. de Lens.
1550.

DE INCOMPA-
rabili triumphalis huius
pompæ magnitudine.

AD SERENISS. HISPANIARVM
PRINCIPEM PHILIPPVM,
NICOLAVS GRVDIVS.

NVBE sedens nitida sacros dum spectat honores
Iupiter, ad Scaldim, magne PHILIPPE, *tuos,*
His natam affatur placidus Cythereida dictis:
Cerne, tuum vt læto regnet in orbe genus.
Audijt, & sæua exarsit Saturnia mente:
(Nec dum iræ veteres exciderant animo)
Conuocat extemplò ingenti volitantia cœlo
Nubila, mox homines compluit atque deos.
Tum Pater: Æneadis (inquit) sis aspera Iuno
Vt lubet, insanis exagitesq́ue minus:
Inuisosq́ue modò concessis obrue nymbis,
Nuper vt Argieræ ad mœnia Barbaricæ:
Imperium sine fine tamen telluris & vndæ,
Atque immota tuis Cypria, fata manent.

ALIVD.

IMPERII rector liquidi Neptunus, & vdo
Prognatæ Nereo de genitore deæ,
Sacraq́ue velati circùm stillantibus vluis
Tempora fluminei, lubrica turba, dei,
Excierat tua quos spectatum fama, PHILIPPE,
Vidêre vt SCALDIS *ditia regna tui,*
Totq́ue laboratos Arcus, festamq́ue per vrbem
Pegmata, non vsquam qualia visa prius:

Humida cærulei gens æquoris admirata,
Concordi audita est hæc cecinisse sono,
Desine præteritos attollere, Roma, triumphos,
ANDOVERPA tuos sustulit vrbs titulos:
Et tu Tybri celer iam labere segnibus vndis:
Nobiliora tuis flumina SCALDIS habet.

COR. SCRIB. GRAPH.

FORTE vt tartareas audita est fama per vmbras,
Impleuitque Erebi subitis rumoribus orbem,
Diam ANDOVERPAM, magno aduentante PHILIPPO
PRINCIPE, mirificos tota vrbe parare Triumphos:
Continuò CÆSAR, magno & cum CÆSARE magnus
POMPÆVS, iam concordes, & SCIPIO, & ille
Inclytus ÆMILIVS, moti nouitate, tremendum
(Sumpto animo) PLVTONEM adeunt: Quo, robore fandi
Persuaso tandem, venia accepta, orbe relicto
Inferno, ad Superos, ANDOVERPAMQVE potentem
Deueniunt, tenui circumsepti aëre, nusquam
A quoquam visi, collustrantque omnia, densis
Spectantum turbis mixti, insolitoque stupore
Suspensi, agnoscunt famam longè minorem
Re tanta, tam insperata, tam denique rara.

Ergo iterum ad MANEIS abeunt, REGIQVE sedenti
Ferrato in solio, quæ spectauere reportant,
Se claram vidisse vrbem, vidisse Triumphos
Prorsum incredibileis illos, planeque fatentur
Se victos, nunquam taleis se egisse, supremam
Deberi his palmam, antiquam his concedere ROMAM:
Vrbem ANDOVERPAM miris successibus, altis
FORTVNÆ donis, & rerum diuite cornu
Insignem, toto passim cantarier Orbe,

Dixère. Obstupuit PLVTO, obstupuere profundi
MANES, attonita est Stygij gens vndique Mundi.

Quædam hîc ante omnia necessariò obseruanda.



N primis, in ipso PRINCIPIS *aduentu tristissima cœli dispositione grauiter cœpisse pluere, neque ne momento quidem à pluendo destitisse: vnde multa in hoc apparatu, præ imbrium densitate, aut minus perfectè videri, aut opportunè poterant exhiberi.*

DEINDE, *ipsius aduentum inopinatissima celeritate nobis fuisse multò citatiorem, quàm speraueramus: vnde (quemadmodum in huiusmodi apparatibus vsu venire solet) multa vix dum fuere vel perfecta, vel ritè parata, quæ hîc omnia hac descriptione, (omni procul fuco) absoluta, perfectaq; exhibemus.*

TERTIO, *figuras suis locis hîc visendas, cura Petri Alostensis, Pictoris Cæsarei, ad symmetricam rationem esse positas.*

QVARTO, *omnem figurarum dimensionem, constare ex pedibus, pollicibus, & passibus mensuræ Antuerpieñ. Conficitur autem pes Antuerpieñ, ex pollicib.* X I. *Passus ex pedib.* V. *Porrò pes Antuerpieñ planè quadrat cum pede antiquo Romano, cuius typicam descriptionem habes in pagina M.3. ad figuram Aulæ temporariæ in foro.*

QVINTO, *pedum dimensiones, in quibusdam figuris alias alijs esse contractiores, eo scilicet consilio, vt ne (si omnes vbique fuissent æquales) paginæ non suscepissent grandiorum figurarum magnitudinem.*

SEXTO, *quasdam inscriptiones, quæ per celeritatem aut prorsus deerant, aut cœptæ perscribi nequierant, hîc syllabatim perscriptas suppleri. Eiusdem verò celeritatis præcipitantia, minus emendatè descriptas, hîc accuratius correctas, emendatiores reddi.*

POSTREMO, *Nos in Architectura, vestibus, ornamentis, coloribus, instrumentis, armis, aliisque id genus rebus describendis, nonnunquam (præter Latini sermonis nitorem) vsos esse vocabulis aut prorsus Barbaris, aut recens excogitatis: veluti sunt, vellutum, cramesinum rasum, casacca, collare, paltocus, architrabes, pilastri, festones, hallebarda, sclopetum, vncones, boarda, &c. id enim explicandarum rerum causa factu fuisse pernecessarium: nam vbi in rebus vel nouis, vel barbaris, Latina desunt, cur non liceat (cum venia tamen) modestè vti vocabulis, aut omnino nouis, aut dudum in vsum receptis, vulgoque cognitis?*

Sed agè, istis omissis, ad rem.

Maximæ ſpei Principi, Carolo, PHILIPPI HISPANIARVM PRINCIPIS, DIVI CAROLI .V. CAES. FILII, FILIO, HISPANIARVM INFANTI. COR. SCRIBONIVS GRAPHEVS, PERPETVAE FOELICITATIS INCREMENTVM.

AVVS tuus Paternus, Maxime future Princeps, CAROLVS ille .V. IMP. CÆS. AVG. à multis retro ſeculis Heroum fortiſſimus, ſiue per bellorum incommoda, ſiue turbati Imperii negocia, terra mariq; aliquot ab hinc iam annis incredibileis perpeſſus labores, tandem ſopitis vndique bellis, Imperioq; priſtinæ tranquillitati reddito, ad ſuos BELGAS reuerſus, optatæ ſe tradidit quieti, ibiq; aliquandiu moratus, PHILIPPVM Patrem tuum, ipſius filium, HISPANIARVM PRINCIPEM in Hiſpaniis agentem, ad ſe in BELGAS accerſiri iubet: is continuò relictis Hiſpaniis, emenſo mari, peragrata Italia, luſtrata Germania, ad PATREM CÆSAREM iam diu non viſum, auidiſſimè autem deſideratum, multa celeritate feſtinus contendit.

Quibus verò honoribus, qua alacritate, quanta congratulatione, in toto illo itinere, ab omnibus, vndique acceptus fuerit, & nuncia fama, & ſcripta inde in vulgum prodita, ſatis magno ſunt teſtimonio.

PRIMVM autem venit in auidiſſimos exoptatiſſimi PATRIS CÆSARIS, ipſiusq; ſororum Reginarum MARIÆ & HELEONORÆ amplexus, in ameniſſima Brabantiæ vrbe, gratiſſima eius prouinciæ Ducum Brabantiæ ſede, BRVXELLA: vbi quanta feſtiuitate, quantis gaudiis, & vniuerſa Aulicorum multitudo, & eius Vrbis cuncti magiſtratus, populusq;, lætiſſimo occurſu, ſplendidiſſimo apparatu, erectis arcubus, exhibitis ludis, illum proſequuti ſunt, neque huius eſt loci, neque facile fuerit breuibus explicare.

ITAQVE ſic acceptum Pater, in omnes Illum hæreditarias inferiorum iſtarum regionum ditiones, vt legitimum ſucceſſorem, per præcipuas earundem ditionum vrbes, populis vndique mirificis triumphis applaudentibus, circunducit.

Tandem autem perlustratis Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæq; vrbibus, Filioq; in Patris successorem vndique accepto, decreuit inuisere speciosissimam, atq; adeò fide nunquam polluta candidissimã, suam filiam ANTVERPIAM, Marchionatus Sacri Imperii Metropolim, Emporium tota Europa longè celeberrimum, suum illum filium in iam dictum Sacri Imperii Marchionatum, eiusq; vrbis ditionem, auspice DEO OPT. MAX. inauguraturus.

Quò cùm peruenisset, quanto (obsecro) applausu, quantis gaudiis, lætitia, alacritate, exultatione, quàm ardentibus votis, quo desiderio, studio, affectu, quàm insuetis triumphis, quàm inæstimabili apparatu, quibus honoribus, qua pompa, qua festiuitate, quanta beneuolentissimi animi ostentatione, quot quantisq; incredibilis gratulationis testimoniis, vniuersa ciuitas, Magistratuum ordines, Populus, Plebes: Optimatum, Patriciorum, Nobiliumq; ingens numerus, variè Mercatorum hîc negociantium nationes, promiscua omnigenum ab vniuersi orbis partibus, huc vndatim confluentium multitudo, Equitum, Peditumq., vario, idq; speciosissimo ac sumptuosissimo ornatu, pulcherrimo ordine, cateruatim procedentium chiliades, venientem Principem patrem tuum antea non visum, iamdiu multis votis expectatum, vnà cum patre Cæsare, sororibusq; Reginis, vniuersoq; Cæsareo comitatu exceperint: Nos, quantum rei certè difficillimæ patietur magnitudo, quamq; poterimus exactissimè, singula speciatim sic describere, atque ob oculos legentium ponere, conabimur: vt te non legere, sed coram cernere mirariq; videaris, idq; clarius ac viuidius, quàm si ipse vndique præsens singula diligenter inspexisses.

SED AGE, omnia sanè & exactissimè, & verè describamus, pingamus, ob oculos ponamus: Quis, obsecro, plenè crediturus est? quis magnam eorum partem non suspicetur per amplificationem à nobis confictas esse fabulas, commenticiasq; nugas, si præter immensos sumptus, præter immanem materiarum quantitatem, præter opificum stupendam multitudinem, præter multiplicium Spectaculorum, Pegmatum, Arcuum, columnarum, aliorumq; id genus apparatuum, inusitatum numerum, vel inuisam cœptorum magnitudinem, vel inauditam conficiendorum celeritatem legat?

Viximus annos iam ferme nouem supra sexaginta, peragrauimus multas Europæ regiones, vidimus Romæ, vidimus & aliis tam in Italiæ quàm aliarum quarundam prouinciarum & ditionum vrbibus, magnificos percelebresq; id genus triumphos: Nouimus & alios plerosque viros, & ætate & prudentia graueis, qui & ipsi talia extraneis plerisque in locis, cum admiratione se spectasse aiunt: sed neque nos, neque illi

quic

quicquam cum his noſtris, vel ſumptu, vel magnitudine, vel celeritate, vel numero conferendum conſpeximus vſquam, neque ab aliquot retro ſeculis quenquam conſpexiſſe exiſtimauerimus.

An non hoc in primis admiratione & ſtupore dignum, ac narratione noſtra vix fidem facturum, intra ſpacium plus minus duorum & triginta dierum, totidem inſuetæ magnitudinis Arcuum, Pegmatumq́; ac cæterarum huiuſmodi machinarum moles, ad nubes vſque (vt ita dicam) porrectas, raro artificio, venuſtiſſimis picturis, pulcherrimis, idq́; crebris & pregrandibus ſtatuis, his auro, illis argento opulentiſſimè obductis, columnis, epiſtyliis, trabibus, zophoris, coronicibus, hiſtoriis, inſcriptionibus decoratas, per certa interualla, idoneis locis diſpoſitas, ad perfectionem vſque fuiſſe deductas: nulla tamen prius in eum vſum aut comparata, aut adaptata materia, quæ tanti concepti operis celeritati ſuccurrere potuiſſet: vt hîc interea taceam, plus minus bis mille quadratæ formæ columnas, variè ornatas, ab vrbis ingreſſu per bis mille .CC. & amplius paſſus vſque ad Principis Regiam, in perpetui porticus ſpeciem, ab vtroque viæ latere locatas, intra octonum dierum ſpacium, fuiſſe fabricatas.

Quid ſi vidiſſes operariorum, opificum, architectorum, pictorum, ſtatuariorum, vtriuſq; profeſſionis fabrorum, cæterorumq́; artificum, (de quibus infrà plura) incredibilem multitudinem, ſecuribus, malleis, contis, dolabris, terebris, aſciis, ſerris, circinis, penicillis, totos dies, totaſq́; noctes non ſine multi luminis diſpendio, ſummo conatu, multo ſudore, ſuſcepto operi inſiſtentium, inuicem cohortantium, clamantium, formicarũ ritu diſcurentium, alacriter inter operas geſtientium, ac de laboris ſedulitate, non ſine aſtantium voluptate, inter ſe contendentiũ.

Dii boni, quantam erat paſſim cernere omnigenum rerum materiam, eamq; informatam, & rudem, tanto operi deſtinatam? Quantam (obſecro) marinarum aliarumq; arborum, lignornm, aſſerum, tabularum, ingentium trabium, ſtipitumq́; congeriem, vidimus hinc illinc adferri, ac mox eodem momento, hic illic diſtribui, ſecari, dolari, poliri, ſuis locis aptari. Quot putas olei linacei dolia, in hoc picturarum velut oceano (nam omnia ferme ex oleaceo colore fiebant) fuiſſe conſumpta?

Quis bracteati auri, bracteati argenti, bracteati ſtanni vim, vulgò folium vocant, tam numeroſis, tamq́; ingentib. machinis, columnis, pilis, inſignibus, picturis, tabulis, abacis, ſtatuis, adornandis, adhibitam explicare queat? Cui etiam vel argillæ, vel immanium truncorũ quantitas, tot ſtatuis, coloſſis, ſignis, ſimulachris moliendis, non fuerit miraculo?

Quid dicam telarum, linteorum, vælorumq; copiam, tot machinarum, arcuum, pegmatum, tabulis, abacis, columnarumq; lateribus con-

tegendis, coloribusq; inducendis, comparatam? Ecquid cætera? ab vno atque altero exemplo, reliqua æstimentur omnia.

In Arcu Mercatorum Genuensium, insumpti dicuntur, vel in clauos ferreos tantùm, ducenti triginta quatuor aurei Carolæi, (Carolæus dimidiatum valet Scutatum.) gnauiter in eo opere sudantibus plus .CC. LXXX. opificibus, architectis, fabris lignariis, pictoribus, statuariis, &c. Germanis verò (vt taceamus de reliquis) ad ipsorum Arcus structuram in rationem adductæ sunt sexies supra trigesies mille tabularum atque asserum pedales mensuræ, (per pedes enim huiusmodi res metiri in his regionibus consuetudo est) Ne interea recenseamus, arborum, trabium, palorum, perticarum, stipitum, infinitas syluas, de quibus quisq; ex iam dictis coniecturam facere possit.

Quem quidem tam rarum pulcherrimarum rerum adparatum dum exactius describere instituissem, subiissetq; animum dubitatio, cui nam non exiguos huius conatus labores dicarem (iis enim eos inscribere qui omnia coram spectauerant, vel superuacaneum, vel minus videbatur habiturum gratiæ.) Tu mihi vnus visus es ille, cui in primis id meritò deberetur, nimirum & à tam insuetis paternis his velut triumphis longè absenti, & paternæ gloriæ hæreditario successori.

ACCIPITO igitur tibi meritò dicatos, hos in Principis Patris tui gratiam exhibitos, ac per nos descriptos triumphos, vt quos tibi absenti coram spectare non licuit, iam velut pręsens ob oculos positos, exactius, clarius, viuidius intueare, quàm ii fortassis potuêre, qui res ipsas (vt erant) in præsentia conspexerunt: Vt'que (quoties eos legere vsu venerit) te vnà cum PRINCIPE PATRE, Auoq; Cæsare, & Amitis Reginis præsentem & coram interesse putes: Quiq; paternorum honorum summo iure es particeps, cum Patre triumphante lætus gaudeas. Cæterum qualia qualia hæc cunque sint, tibi & non ingrata fore, & (pro Heroica tua indole) te boni consulturum esse, nobis certò persuademus.

Antuerpiæ. Anno
à mundo redempto
M.D.L.
Kal. Iun.

Spectaculorum, in susceptione PHILIPPI, HISPANIARVM PRINCIPIS, DIVI CAROLI .V. CAES. F. ANN. M.CCCCC.XLIX. ANTVERPIAE AEDITORVM, APPARATVS: PER COR. SCRIB. GRAPH.

AD .III. Idus Septembr. Anno. M. CCCCC. XLIX. DIVVS CAROLVS .V. IMP. CÆS. AVG. Geminæque illius sorores Reginæ, nimirum HELEONORA Franciæ, & MARIA Hungariæ, vnà cum ipsius Cæsaris filio PHILIPPO HISPANIARVM PRINCIPE, ingenti, hoc est planè Cæsareo comitatu Mechlinia profectus, LYRAM venit: LYRAM inquam non ignobile Brabantiæ oppidum, in ditione Antuerpień. supra NETEN fluuium situm: inde ad suam ANTVERPIAM dirigit iter. PRINCEPS verò, paulò à meridie, multo itineris spacio præcedens PATREM, peruenit in pagum Berchemicum, ferme duobus millibus passuum ab vrbe Antuerpiensi dißitum. Est verò inter eum pagum & vrbem Antuerpiam, ad Leprosorum conuentum, ingens ferrata trabes, indigenæ vernacula lingua arborem versatilem vocant, media via (velut obex, si quando opus sit, hostilibus equitibus per transuersum obuertendis) octingentis quinquaginta paßibus ab extremis vrbis mœnibus, locatus: Qui obex nostri districtus (vt Iurisperiti loquuntur) limes est, sicut & reliqui similes trabium obices, circum vrbem ad portarum exitus, simili distantia positi, sunt nostrorum quoque districtuum limites. Ab hoc limite, ad.C. ferè passus, BERCHEMIAM versus, ad viam publicam quà Mechliniam itur, ad læuam, ingens iacet campus, habens in latitudine C. L. passus, redemptis ab agricolis, & latè excisis, (quæ campum sæpierant) arboribus, vndique planus.

Hîc PRÆFECTVS VRBIS, quem vulgo MARCHIONEM vocant, vnà cum vrbis PRÆTORE, quem sermone vernaculo Ammannum dicimus, alijsque ex optimatibus nonnullis, pulcherrimo vectus equo, consueto suo cinctus Satellitio, bellici simulachri instruxerat aciem, ex quatuor ferme delectißimorum peditum millibus, idque ex nostris ciuibus tantùm, aduenienti PRINCIPI fulgentibus longè armis iucundißimũ præbituris spectaculum.

Quæ quidem acies ex triplici constabat militum genere. Primùm ex ijs, qui ritu Germanico prælongas gerunt hastas. Deinde qui curtis pugnant tælis, vt

ſunt Bipennes, immanes illæ quas & humeris geſtant, & ambabus manibus terrifico ictu infligunt rompheæ: notumque illud tæli genus, quod (veri vocabuli penuria) hallebardam vocamus, quamque nonnulli haſtatam ſecurim dici malunt. Poſtremum qui grauioribus ſclopetis (noto nunc nomine vncos appellant) horrendiſſimo creberrimi latratus terrore hoſtem adoriuntur.

Ex his igitur tribus militum generibus, hæc acies inſtructa erat, in hunc ferè modum.

ACIEI INSTRVCTIO.

ERat huius phalangis forma ferè quadrata, nimirum longitudine, quàm latitudine protenſior. Frons, hoc eſt anterior aciei pars, quæ erat eius latitudo, ſpectabat ad publicam viam, quâ PRINCEPS *tranſiturus erat. Habebat hæc acies duo & quinquaginta peditum contubernia, ſeu (vt nunc quidem appellant) membra. His vtrinque ab lateribus per longitudinem à frontis, vſque in tergi cornua diſtentæ, hærebant alæ. Hæc autem duo & quinquaginta contubernia, conſtabant ex ſuprà memoratis duobus illis generibus, nimirum haſtatis, hallebardarijſque & his ſimilibus: alæ verò, ex meris grauioribus ſclopetis. Porrò ſingula contubernia (præter ſclopetariorum alas) continebant quinquagenos ſeptenos pedites, idque ordine quintuplicato condenſatos, hoc eſt, ſepties & quinquagies quinos.*

Horum autem omnium diſtributio ſic erat.

Stabant pro fronte aciei erectis haſtis terna haſtatorum contubernia.

His mox vnum adiungebatur contubernium, vnius & quinquaginta hallebardariorum, additis ab vtroque latere ternis haſtatis, qui ſimul faciebant LVII. *numero (vt in cæteris) in denſitatem quintuplicato. Hinc rurſum terna haſtatorum contubernia. Deinde duo hallebardariorum membra, additis ternis hinc, ternis illinc, haſtatis. Porrò inter hæc duo membra, ampliori loco, certis ſpacijs diſiuncti, terni ſtabant ſigniferi, ſinguli ſingula ſuo more vibrantes vexilla, quæ ipſi appellant cruenta, quibus ſingulis et binæ tibiæ, et bina præibant tympana, ternis vtroque latere poſitis, quintuplicato numero, haſtatis.*

Hinc locabantur tredecim haſtatorum contubernia, his rurſum ſucceſſere duo hallebardariorum membra, in medio quorum ſex ſigniferi ſena ferebant vexilla, quæ milites vocant violenta, quibus quoque ſingulis & binæ tibiæ & bina præibant grauiter crepitantia tympana, quintuplicato vtrinque terno haſtatorum numero. Poſt hos vndeuicena ſtabant haſtata contubernia.

Poſt quæ rurſum ſtatuebantur duo hallebardata, quæ ſuo gremio continebant terna vexilla, quæ nuncupantur extrema, bis ternis antè euntibus & tibiarium & tympanorum concentibus, ter quintuplicato vtrinque poſito haſtatorum præſidio. Prouidè ab horum tergo ſtatuebantur alia tria haſtatorum contubernia. Poſt quæ vnum hallebardariorũ, ac poſtremùm tria deinceps haſtatorũ: quæ omnia ſimul (vt ſuperius indicauimus) faciebãt contubernia LII.

Ge.

Geminæ alæ, horum lateribus dextrorſum, læuorſumq́; incumbentes, in Centum ſupra decem diſtribuebantur Sclopetariorum membra, hoc eſt, pro ſingulo latere. LV. Conſtabant autem ſingula alarum membra, è ſeptenis Sclopetarijs, ijsq́ue in denſitatem quintuplicatis, id eſt, ſepties quinis. Singula verò hæc Sclopetaria membra, ita reſpondebant atque velut adglutinabantur ſingulis Haſtatorum & Hallebardariorum contubernijs, vt quintuplicato denſitatis numero, per omnia eſſent paria. Porrò quòd hæc LV. illa verò (im pari numero) quinquaginta duobus conſtant, id factum eſt propter treis vexil lorum ordines, qui inter Haſtatorum contubernia nō numerati, ſed inter Hal lebardarios apertiori loco conſtituti, opus habebant à lateribus, quæ aliâs nuda patebant, Sclopetariorum præſidio. Erant in fronte aciei, quatuor, qui Germanicis tibiis, totidemq́ue qui horrendis Tympanis militum animos ad alacritatem excitarent, nimirum hi ad dextrum, illi ad læuum frontis cornu poſiti.

Ante hos ibant octoni à dextero, totidemq́; à ſiniſtro cornu pedites Halebardarij, agminum ductores, partim ex Vicorum Magiſtris, partim ex alijs eius rei peritis ſelecti. Ad alarum latera obequitabant octoni hinc, octoni illinc, ex Optimatib. equites, phalangis inſtruendæ directores.

PEDITVM HABITVS.

HAbitus omnibus pro ordinum ratione, erat & colore & forma nonnihil diuerſus. Anteriores enim thoraces, caligæ tam ſuperiores quàm inferiores, pileiq́ue, & in capitibus plumæ, coloribus non diſcrepabant. Siquidem thoraces, eorumq́ue manicæ alijs ex albo holoſerico, (quod aut à villis villoſum, aut à vellere vellutum appellant) alijs ſerico raſo, quod vulgò ſericeum Satinum vocant, raſum verò quòd villis careat: alijs florulento damaſceno candicabant. Caligæ totæ ex fulgurantiſſimo minij ſeu cocci colore flagrabant, ſuperiores longis cæſuris ferè ad genua vſque laciniatim conſciſſæ, dextera croceas, læua albas ex ſerico tælas, per cæſuras tranſmittebant.

Pilei altiuſculi, ex rubris ſericeis villis, ternas Strutiocamelinas quatiebant plumas, ternis coloribus, albo, rubro, & croceo diſtinctas.

Hic omnium habitus in genere, nunc accipe per ſpecies.

Haſtati, Hallebardarijq́ue omnes, ſuper candidum thoracem, pectus, tergum, brachia, fœmora, longè radianti ferro contegebant. Caput alij ſericeis, bo na pars repandis illis ex prælucido ferro, quos oppugnatorios vocant, pileis mu niebant, tricoloribus ſuperimpoſitis plumis. Sclopetarij ſuper thorace pro ar mis gerebant alba ex Hiſpanico corio collaria, oblongis ſciſſuris ad vmbilicum vſq; conciſa: tecti capita alij rubris ſericeis, alij oppugnatorijs ex ferro pileis, additis plumis vt antè. Signiferi, tibicinesq́ue, & qui tympana pulſabant, ar morum loco, alij quidem tegebantur aureis, alij verò argenteis, alij candidis ex velluto, alij candidis ex corio Hiſpanico collarijs, aureis fimbriis per extremitates ornatus gratia additis. Enſium vaginæ ex holoſerico velluto: enſium capuli, vaginarumq́; extrema, ex elaborato argento. Pugionum item tam capuli


& etiam totæ vaginæ ex elaborato quoq; argento. Pilei, plumæ, thoraces, caligæ, vt in genere ostendimus.

HIS igitur omnibus ita instructis, ipse Marchio, data cura Scultheto suo continendæ in ordine ac dirigendæ aciei, auidus occurrit PRINCIPI, iamiam ad aciei stationem propius progresso: Quem prius de more salutatum ad aciem deducit. Is eo spectaculo mirifice delectatus, ipso comitante Marchione, alijsq; delectis Proceribus, aciem (quo dictum est ordine) instructam, circumequitans cum ingenti voluptate perlustrat, vehementer admiratus tot simul, ac tam raras militiæ gemmas intra vnius vrbis mœnia (ne vno quidem accito extraneo) potuisse colligi. Inde transit ad eum de quo diximus limitem, ibidem inaugurandus, militibus in sua statione atque ordine restitantibus, donec (vt suo dicemus loco) deducerentur.

ARCVS PVBLICVS AD LIMITEM extra vrbem, ad pedis Antuerpiani mensuram.

Altitudo ped. xxviij.

Latitudo ped. xxx.





ERAT ad ipsum limitem Magistratuum cura erectus ex depictis tabulatis, vt duplici transitu, ita & duplici facie Triumphalis Arcus, perelegans profectò futurus, si per præcipitantiā ad perfectionem deduci, plenéque exornari potuisset: Siquidem huiusmodi Arcuum formæ sunt repertu perraræ. Cuiusq; transitus latitudo quidem in.xij., altitudo verò in.xvj. patebat pedes. Pilæ, hoc est quadratæ columnæ (recentiores Archi tect-

tecti Pylastros vocant) pro facie erant crassæ .ij. ped. Totus Arcus in latitud. xxx., in altitudine .xxvij. occupabat pedes.

In fronte prioris faciei super singulo transitu, subter Coronicē, singula erant depicta insignia, altera sacri Imperij Marchionatus, altera vrbis Antuerpieñ. Inter quæ insignia, in Abaco ad hoc aptato, Romanis literis scribi cœpta erat, & nisi temporis interuenisset celeritas, plenè legi poterat huiusmodi inscriptio:

SIT TIBI MAGNE O PHILIPPE IN PRÆCLARAM VRBEM ANTVERPIAM, VT PARENTI TVO MAXIMO, ITA ET TIBI MVLTO DEVOTISSIMAM, IAM IAM INGRESSVRO, FOELIX AC FAVSTVM, TE HOC LOCO IN ANTIQVISSIMAM, SACRI IMPERII MARCHIONATVS DITIONEM, A DIVO OLIM IVSTINIANO CÆS. INSTITVTI, ATQVE A TVIS PROGENITORIBVS ILLVSTRI TITVLO HACTENVS SERVATI, MAXIMO OMNIVM DESIDERIO HODIE INAVGVRARI, QVO QVIDEM OMINE, TE VELVT IACTIS FVNDAMENTIS, PATRI ALIQVANDO IN IMPERII SVCCESSIONEM VENTVRVM, NIHIL MAGIS PERSVASVM, NIHIL MAGIS OPTANDVM.

COLVMNAE HVIC ARCVI CONTIGVAE.

HVIC Arcui, à facie posteriori vrbem versus, vtrinque contiguæ erant certo ordine æqua distantia positæ quadratæ Columnæ, quaternæ à dextra, ac totidem à læua, cum suis Superciliis, siue (vt aiunt) Architrabib. per intercolumnia ipsis Pilis incumbentibus, à pilarum Capitellis, certis ornamentis è frondium nexibus, arcuatim dependentibus. Super singulis autem pilis, parati, iamiamq; ponendi erant (sed celeritas impediit) singuli ex veteribus ijsq; præcipuis, & omnium primis, sacri Imperij Marchiones, habitu antiquo, antiquisque insignibus, colore vmbratili artificiose depicti, Erant autem vsque ad Carolum Magnum numero octo, nimirum hi:

ANSELBERTVS, Sigiberti Francorum olim Ducis filius, Sacri Imperij Marchio, primus.

ARNOLDVS, Anselberti filius, Marchio. II.

S. ARNOLDVS, Arnoldi superioris filius, Marchio. III.

ANCHISES, S. Arnoldi filius, Marchio. IIII.

PIPINVS, Anchisæ filius, Marchio. V.

CAROLVS MARTELLVS, Pipini filius, Marchio. VI.

PIPINVS PVSILLVS, Caroli Martelli filius, Francorũ Rex, March. VII.

CAROLVS MAGNVS, Pipini pusilli filius. Imp. Ro. & Francorum Rex, Marchio sacri Imperij in ordine. VIII.

SACELLVM AD LÆPROSOS.

Post hos statim se offerebat proximè leprosorum conuentui, exiguum quidem sed antiquitatis æmulatione conspicuum, hemicycli forma, Sacellum, ex picta tabularum materia fabrefactum, cum iam dicto Arcu, octonisque pilis, ac totidem Marchionum imaginibus, opus bidui.

PRINCEPS IN S. IMP. MARCHIONATVM INAVGVRATVS.

PEruenienti igitur Principi, ad iam dictum limitem, vniuersus noster SENATVS, in corona adstantibus Sacerdotibus, Sacrorumq; Præsidibus, cæteraq; Ecclesiasticorum ordinum multitudine, equis descendētes, venerabundi occurrunt, diu desideratum qua pro viribus possunt, gratulatione accipiunt, pro Principe paternæ hæreditatis successore agnoscunt: Omnia illi fausta, beata, prospera, fœlicia comprecantur, se suaque ac Reipublicæ omnia illius potestati dedunt, vrbis claueis, in eius rei signum, Reipublicæ nomine vltro tradunt.

Inde per Arcum inter pilas & Marchiones ad sacellum itur: ibi primùm solenni iureiurando sacrosanctæ Ecclesiæ se tutorem promittit, Deinde in legitimum Marchionatus Sacri Imperij Successorem, adhibitis ad hæc consuetis ab antiquo ceremonijs, incredibili totius multitudinis mirificè acclamantis gratulatione, ritè inauguratur.

Quod vbi factum, opperiente iam in Sacello PRINCIPE, restitanteque apud illum Senatu, ecce reliqui vrbis Magistratus, cum Optimatibus, Mercatorumque nationibus, & honestiorum Ciuium multitudine, iam tum vrbe egressi, mirifico ordine, incredibili pompa, pulcherrimo equitatu, gradatim appropeˀrantes, desideratum PRINCIPEM, qua fieri potest reuerentia consalutant, factoq; haud indecoro coram eo reflexu, rursus ad vrbem regredientes instituto nihil immutato ordine, ante eum, mox subsequuturum, turmatim procedunt.

Erant autem huius Equitatus per suas turmas, progressus huiusmodi.

COMMVNIVM CIVIVM EQVITATVS.

PRimi in Equitùm ordine procedebant communes vrbis Ciues, hoc est, ij qui cum Magistratibus & Inquilinis non numerantur, videlicet ingens in primis honestiorum Ciuium multitudo, deinde ex Collegiorum & Societatum turba, cum eorundem Decanis & Senioribus quamplurimi, Tum ex Patricijs, ex Optimatibus, ex Nobilibus, priuatisque Mercatoribus, permagnus, isque pulcherrimus numerus, omnes lectißimis inuecti equis, numero fere .CCCC.

His omnibus (ceu ductores) præibant ex Ciuium Vicorumque præfectis aliqui,

qui, ad hoc peculiariter destinati. Ciuium præfecti, quos appellant Capitales, sunt Senatus autoritate instituti Quatuor. Præfecti autem Vicorum (sunt enim Vici seu Regiones vrbis. XII.) eadem autoritate instituti: sunt. xxiiij. quos vocant VICOMAGISTROS.

Erant omnes hi equites, vnius, hoc est violacei coloris vestitu adornati.

Vestitus erat, indumentum manicatum, discinctum, ferè in genua demissum, vulgari vocabulo dicitur Casacca. Galericuli omnibus erant ex nigro holoserico, quod superius vellutum appellauimus. Indumenti, iuxta cuiusque facultates, varia erat ratio, quanquã vnius & coloris & formæ: Siquidem alij velluto, alij raso, alij florulento Damasceno, alij velluto coccino (Italis Cramesinum dicitur) pulchrè vestiebantur. Quamplurimis verò & pilei, & indumẽta his aureis, illis argenteis cum fimbrijs, tum alijs id genus ornamentis nitebant.

Hos continuò subsecuti sunt externarum Nationum Mercatores: nempe, Lucenses, Mediolanenses, Angli, Hispani, Germani: nam Lusitani, alijq; ex Italis quidam, quanquam sumptuosissimè parati, ob præitionis controuersiam non sunt sequuti. Ex Italis autem Lucenses sese exhibuere primos.

MERCATORVM LVCEN. EQVITATVS.

HI (præter. xl. adolescentes ipsis à pedibus) non sine magna spectantium gratia, gradarijs luculento ornatu vectabantur equis, numero. xvj.

Vestis exterior erat curta, manicata, manicis strictis, ex velluto Cramesino Iantino, si mauis violaceo, cum versura, eiusdem quidem coloris, sed ex cramesino raso. Omnia venustè circuntexta fimbrijs aureis. Manicæ autem circa scissurarum oras, aureis baccis decoratæ. Galericulus, ex velluto cramesino aureis baccis, pulcherrimisque crebro intermixtis gemmis, insignis.

Vestis interior (Palthocum appellant) violacea, ex cramesino raso, circunductis vndiq; fimbriis ex auro connexis, persplendida. Caligæ superiores violaceæ, ex cramesino velluto, longis scissuris deorsum ad genua ferè scissæ, Cramesino raso eiusdem coloris per scissuras transparente: scissuræ autem, aureis limbis splendicabant. Inferiores verò infra genua caligæ, lanea Scarlatta (sic Itali vocant) velut fulgurantes superbiebant. Calcei ex velluto cramesino violaceo, honestè conscissi. Ensium capuli, vaginarum extrema, cincturarum fibulæ, omnia aurea. Erant autem vaginæ ac cincturæ ex violaceo velluto cramesino confectæ. Equorum ornamenta, Sellæ, pectoralia, phaleræ, habenæ, & stragula, hoc est operimentum vtrinque à sella ferè ad terram vsque propendens, omnia ex eodem cum velluti, tum coloris genere, aureis vndique fimbrijs, aureisq; ac sericeis violacei coloris villis mixtim per marginum oras assutis. Calcaria, stapedes, fræna, bullæ, atque id genus reliqua, fulgebant auro.

Adolescentes verò à pedibus, Equitantium lateribus adcurrentes, numero (vt suprà indicauimus). xl. sic adornatos conspicere erat.

Galericuli violaceo velluto, idque Cramesino obducti, aureis nitebant fimbriis, albis rubrisq; è struthiocamelorū superimpositis plumis. Thoraces manicati, albi, ex serico raso, crebris scissuris vndique perforato, translucente per scissuras eiusdem coloris serico. Collaria ex velluto violaceo Cramesino, per omnia extrema aureis limbis rutilare videbantur. Caligæ superiores, ex velluto cramesino rubro, conscissæ, rubro sericeo filo multo artificio elaboratæ, candido serico per scissuras egrediente. Cincturæ, ensiumque vaginæ, ex velluto violaceo cramesino. Manubria verò, vaginarumq; extrema, & cincturarum tam fibulæ quàm bullulæ, omnia aurea.

Huc adequitantes, sequuti sunt Mercatores Mediolanenses.

MERCATORVM MEDIOLANENSIVM EQVITATVS.

HOS *vidimus præ alijs longè speciosissimis insidere equis, nempe Hispanis (Gianettas vocant) nimirum ex eorum genere, quos aiunt vento conceptos, esse omnium velocissimos. Horum quidem ornatus sic erat.*

Galericuli violacei, ex velluto cramesino, micabant crebris idque aureis clauiculis, sparsim seu stellulis inter violas scintillantib. impositis violaceis struthiocamelinis plumis, quibus prætexebantur aurea & quæsitæ artis & ingentis pretij numismata. Vestis exterior, manicis strictis, duplex: foris quidem violacea ex velluto cramesino, intus verò ex serico raso eiusdem coloris, vndique per extremitates circuntexta fimbrijs aureis, idq; triplici limbo, aureis baccis ad manicarum scissuras suauè resplendentibus. Vestis interior manicata (manicis per foramina exterioris transeuntib.) violacea quoque ex cramesino raso, per extremitatum oras, multiplici ordine aureis fimbrijs decora.

Caligæ ex violacea scarlatta, fœmoralia verò ex velluto cramesino eiusdem coloris. Ensium manubria, vaginarumque extremitates, vndique inauratæ, opere sculptili, ritu Damasceno rara arte cælatæ: vaginæ verò, balteiq; ex velluto violaceo cramesino. Equorum phaleræ, ephippia, fræna, sellæ, pectoralia, cæteraque id genus ornamenta, omnia violacea ex velluto cramesino, aureis assutis vndique fimbriis. Ocreæ ex corio Hispano candido. Calcaria, stapedes, fibulæ, clauiculi, bullulæ, equorum morsus, lepidissimè inaurata omnia.

Erant autem hi equites numero. xvij. incedebant verò bini. Quibus singulis bini aderant à pedibus Iuuenculi multò elegantissimi, numero simul. xxxiiij Quorum quidem ornatus erat huiusmodi:

Galericuli vellutæi, coloris perrari, nempe humani, qui fit ex commistis albo & roseo (Pictores alij carneum, alij incarnatum appellant) his addebātur duplices struthiocamelinæ plumæ, coloribus distinctæ: altera quidem albo, altera verò carneo. Thoraces manicati, duplices, foris quidem ex cramesino raso violacei coloris, intus verò ex candido serico, se per scissurarū rimas prodente.

Caligæ duplices, extrinsecus quidem laneæ, coloris carnei: intrinsecus autem

ex

ex ſerico candido, per ſciſſuras ſplendicante. Calcei, enſium pugionumq́; vaginæ, ac etiam cincturæ, ex velluto coloris carnei. Enſium item pugionumq́ue capuli, & cincturarum fibulæ, inaurata omnia. Horum veſtigia continuò inſequebantur Mercatores Britanni, quos nunc dicimus Anglos.

MERCATORVM ANGLICORVM EQVITATVS.

INcedebant hi, vt & cæteri quoque, bini, induti Sagulis, ſeu (vt dicit vulgus) ſaionibus, ex velluto violaceo crameſino, circunductis vndique per ambitum argenteis filis, ad fluctuantis vndæ marinæ ſimilitudinem, acu pereleganter formatis, aureis duplicato orbe in pectora pendentibus catenis. Pileos ex velluto violaceo ambibant per marginum oras funiculi ex torto auro. Super his verò eminebant candidæ ex ſtruthiocamelo plumæ, aureis nūmiſmatis ſuffultæ. Thoraces ex violacei coloris raſo crameſino. Caligæ autem ex eiuſdem coloris velluto conſpiciebantur, intus duplicatæ ex crameſino raſo, circunductæ argenteis filis, ſinuoſis flexibus vndas marinas imitantibus. Vehebantur autem equis & arduis & inſigniter animoſis: Quorum omnium ornamenta conſtabant ex velluto violaceo, decorata vndiq; fimbrijs, partim ex argento, partim ex viridi ſerico mixtis. Plumæ verò pro equorum frontibus extantes, erant ſtruthiocamelinæ, duplici diſtinctæ colore, alteræ viridi, alteræ candido. Singulorum enſes, pugionesq́; cum manubrijs, tum extremitatib. auro lucebant: cincturis & vaginis ex velluto violaceo concinnatis.

His ſingulis ſinguli Iuuenes à pedibus adcurrebant, in veſtitu candido ex ſerico raſò, crebris rimis diſciſſò, intus ſerico viridi, argento intertexto, duplicato. Galericulis holoſericeis violaceis, cincturis candidis, plumis in galericulo viridibus, calceis item candidis, & enſibus inauratis, decori.

Habent in hoc Antuerpieñ. Emporio Negociatores Anglici, in magna quidem veneratione ſuum Præfectum, quem appellant GVBERNATOREM. Eam nunc dignitatem obtinet cum Senectæ reuerentia, tum prudentiæ & humanitatis candore ſpectabilis, D. IOANNES STVRGION. Hic equitum ſuorum agmen claudens, plurimum Nationi addidit honoris. Inſidebat autē candido Britannici generis equo, ſpectatu longè pulcherrimo, cuius ornamenta omnia ex velluto violaceo villoſis fimbrijs, partim è filo argenteo, partim è viridi ſerico commixtim adaptatis, viſu iucunda. Ipſum longa ad talos vſque præ reliquis ſpectabilem reddebat veſtis, eaq́; manicata, duplex: erat enim foris quidem violacea ex velluto crameſino, intus verò ex raſo eiuſdē coloris crameſino, manicæ deorſum fiſſæ, baccis aureis crebro ductu lepidè connectebantur.

Galerus ex velluto nigro aureis ſcintillabat clauiculis. Tunica itidem ex velluto nigro, ſuperinduebatur Thoraci violaceo raſo crameſino.

Erant ei Iuuenes à pedibus, à latere quidem dextro tres, à ſiniſtro verò totidem: à tergo autem pueri miniſtri equites tres, omnes à vertice vſque ad calcem

æquali habitu vestiti, nempe velluto candido, conscisso, serico raso viridi, argenteis simul intertextus filis per crebras scissuras euagantibus. Porrò singulorum galericulis impendebant plumæ struthiocamelinæ virides.

Equites autem in vniuersum hi omnes, erant . xxxiiij . Iuuenes verò à pedibus . lxvj . qui simul constituêre capita . C.

His è vestigio se adiunxêre Hispani.

MERCATORVM HISPANORVM EQVITATVS.

ISTI fuere numero . L . incedentes bini, vecti pulcherrimis Hispanici generis Equis: Habebant autem singuli, ex more patriæ, superioris vestis loco, Hispanicos cucullos (Cappas vocant) violaceos, ex velluto cramesino bellè consutos, intrinsecus candido raso serico duplicatos: extrinsecus verò ex puri argenti funiculis, fimbriarum loco, in trium digitorum latitudinem, velut opere Phrygio circumornatos. Sub huiusmodi autem cucullis, pro superiori thorace induebantur collariis, ex violaceo velluto cramesino, longis cæsuris conscißis, intus ex candido raso duplicatis, aureis bullulis, aureisq; clauiculis (punctales vocant) vicissim ad cæsuras lepidè annexis: erant verò huiusmodi Collaria vndique ex puris argenteis funiculis, tridigitali latitudine, valde decorè fimbriata, plurimis ex eis super collario & pulcherrimas gemmas, & magni pretij lapillos in pectore gestantib. Sub his Collariis splendicabat interior thorax, ex candido raso, & tæla purè argentea, crebris cæsuris, aureisq; argenteisq; circumquaq; fimbrijs superbus. Caligæ erant quoque holosericeæ, candidæ, candido raso ac tæla argentea suffultæ. Galericuli ex velluto nigro, crebris ex auro, cum bullulis, tum clauiculis, elegantißimisq; emblematis, candidisq; struthiocameli plumis superimpositis, pulchrè ornati.

Ocreæ ex corio Hispanico albicabant. Equis omnibus, ephippia, phaleræq; & cætera huiusmodi consueta ornamenta omnia, erant vel tota ex violaceo velluto cramesino, vel ex alijs mirificè arridentib. coloribus, vel ex tæla merè aurea, vndique suis locis aureis bullulis, aureisque & argenteis fimbriis decorata, prout cuiusque ferebat ingenium: siquidem in his certum non obseruarunt ordinem. Habebant autem singuli ministros à pedibus binos, hoc est summatim Centum. Erat verò his huiusmodi ornatus: In primis, induti erant thoracibus candidis, ex candido raso, intus carnei coloris raso suffultis. Habebant item super thoracibus candida lepidè concisa ex candido Hispanico corio Collaria, deinde galericulos, calceos, & ensium vaginas, ex candidi quoque coloris velluto: Galericulis autē imminebant carnei coloris struthiocamelinæ plumæ.

His continuò subsequuti sunt Germani.

GERMANORVM SOCIETATIS MARITIMAE EQVITATVS.

HI *quinquaginta selectissimis suæ gentis viris, ac totidem à pedibus floridæ ætatis ministris, magnificè instructi, hoc pompam duxêre apparatu.*

Procedebant gradatim bini, certis interuallis disiuncti, perelegantibus equis valde conspicui. Omnibus erat vestis discincta, manicata, ex velluto violaceo decenter formata, paulùm infra genua producta, cui à tergo inter humeros ceruici proximè impendebat ex eodem velluto versura, Omnia vndique per margines argenteis assutis fimbrijs belle adornata.

Pilei velluto violaceo obducti, argenteo coronamento, Germanico ritu super imposito, relucebant: duplicibus, nempe rubris albisque additis ex struthiocamelo plumis. Enses capulis auratis fulgebant. Ensium vaginæ, equorumque sellæ violaceo velluto obtegebantur. Vniuersa equorum ornamenta, à fronte, à lateribus, à tergo, cum fimbrijs pariter & villis, cum albo tum rubro serico inter se mixtim distincta erant, fræna, lupata, stapedes, calcaria, argenti nitore splendebant. Ocreæ autem corio nigro equitantium crura tegebant.

Ministri à pedibus omnes, partim croceo, candidoque, partim rubro & candido serico vestiti, ad Equitum latera decorè adcurrebant.

Post hos coniunctim adequitauêre Germani quos appellant Superiores.

MERCATORVM SVPERIORIS GERMANIAE EQVITATVS.

ISTI *quidem vt valde sublimibus, ita & incessu mirificè superbis ferebantur Equis: habebant autem vestem superiorem, (quam superius vulgato vocabulo Casaccam appellauimus) strictis manicis ab humeris reiectis, discinctam, apertam, ad genua vsque aut paulò vlterius demissam, cum versura circum colla latitudinis trium plus minus digitorum, Erat autem tota ex violaceo velluto, vndique per cunctos margines contextis ex puro argento, pollicaris latitudinis fimbrijs, condecorata.*

Thoraces manicati, ex serico raso violaceo, Germanica consuetudine erant concisi, subque cæsuris simili raso fulgebant torto vndique eiusdem & coloris & serici filo transpuncti. Pilei ex violaceo velluto, rotundas habebant versuras, quarum extremis marginibus circunducti erant ex puro argento contorti funiculi. Erant autē pileis impositæ curuatim pendulæ albæ ex struthiocamelo plumæ, emblemate aureo artificiose cælato insertæ. Caligæ superiores ex velluto violaceo concisæ, ac per cæsuras candido traducto serico, distincta, subsequentibus continuò ocreis ex albo Hispaniensi corio. Ensium capuli, vaginarum extrema, ac cincturarum fibulæ, omnia pulchrè inaurata.

Equorum fræna, calcaria, stapedes, & eorum fibulæ, argentea omnia.

Ensium vaginæ, cincturæ, sellæ, phaleræ, calcarium vincula, violaceo velluto obducta. Sed phaleris laciniosi villi ex albo violaceoque serico commixti adpendebant, Sellarum verò extrema candidis ex serico villis splendescebant.

Habebant singuli singulos à pedibus ministros, indutos thoracibus manicatis

ex violacei coloris raso, duplicatus ex eodem serico thoracum extremitatibus:

Eisdem autem thoracibus superinducta erant absque manicis collaria, ex albo Hispaniensi corio, vndique militariter concisa.

Præcedebant eos, tanquam Imperij alumnos. XII. Cæs. Ma. Tubicines, ac tympanistæ duo, qui triumphali concentu sonantib. tubis, ritu Germanico ænea quædam horrendo strepitu quatiebant tympana, pulcherrimis & ipsi quoq; vecti equis, vestiti singuli violaceo Damasceno: Tubicinum autem vexilla à tubis de more pendentia, tympanorum quoque tegumenta, erant ex simili Damasceno, circumpendentib. ad extremitates argenteis villis. Fuere autem Equites numero. LVI. totidem à pedibus comitantib. Iuuenibus ministris: atque ita adnumeratis. XII. Tubicinibus, duobusq; Tympanistis, reddebant numerum Capitum. C. XXVI.

Huic turmæ proximè accessere vrbis Magistratus.

SEd ne quid vsquam omissum videatur, priusquam Magistratuum processum describamus, operæprecium visum est, hîc quoq; ostendere, quanto apparatu Genuenses, Florentini, atque Lusitani, cum cæteris Mercatorum Nationibus ad pompam se accinxerant, iamiamque ritè parati fuerant: At nescio ob quas de præitione tam inter Lusitanos & Anglos, quàm etiam inter Genuenses & Florentinos obortas controuersias, Cæsaris edicto (ne quid fortè incommodi inde nasceretur) vetiti sunt vlterius procedere, reliquorumve Mercatorum se ordini adiungere. Erat autem eorundem apparatus huiusmodi: Saluo tamen, quos priori posteriorive ordine posuerimus, siquidem hîc nobis de ordine nulla est controuersia. Occurrunt autem primi Lusitani.

LVSITANICI EQVITATVS APPARATVS

HORVM tota turma constabat ex. XX. quidem egregijs Equitibus, XX. ministris à pedibus adcurrentib. Magnificè autem singuli insidebant singulis Hispanicis Gianettis: quarum sellæ, phaleræ, cæteraque id genus ornamenta, ex violaceo confecta erant velluto, idque cramesino, vndique aureis circumducta fimbrijs: fræna, calcaria, stapedes, atque enses splendidè inaurata. Ensium vaginæ & calcei ex velluto violacei coloris cramesino.

Vestitus superior ex eiusdem coloris velluto etiam cramesino, intrinsecus eiusdem coloris serico raso duplicatus, extrinsecus verò atque etiam intrinsecus per extremitatum oras aureis fimbriis latè assutis. Interior autem vestitus ex velluto cramesino, aureis quoque fimbriis circumductis. Porrò singuli gestabant aureas idque prægrandes ad colla catenas. Thoraces erant ex raso cramesino, aurea tæla suffulti, concisi, aureis fimbriis, aureis bullulis, aureisq; clauiculis, & rubentibus lapillulis (Rubinos vocant) suauiter adornati.

Galericuli, ex violaceo velluto, multo Adamante aliisque id genus preciosis lapillis, mirificè splendescebant. Caligæ superiores erant ex rubenti velluto

cramesino, concisæ: intrinsecus suffultæ tæla aurea, nigróque serico raso, vndique aureis appositis fimbrijs: inferiores verò rubra ardebant scarlatta.

Incedebant autem bini, singuli verò geminos habebant à pedibus ministros. Erat autem horum ministrorum ornatus sic: Thoraces, collaria, galericuli, ensium vaginæ, ex candido serico raso. Caligæ inferiores, ex viridi panno, Superiores verò, atque etiam calcei, ex viridi serico raso.

Hi postero die à Principis ingressu post meridiem, hoc apparatu, composito ordine, se Principi ante suam Regiam, exhibuere spectandos.

GENVENSIVM AD EQVITATVM APPARATVS.



Enuenses, (præter .XXX. à pedibus ministros) parati erant, numero .XV. Eorum CONSVL, geminíque Consiliarij candidos equos, quos appellant Haquinæas, reliqui verò Hispanicas Gianettas equitantes, Porro Consul equitabat medius inter vtrosque Consiliarios, Cuius Haquinæa præ cæteris longa stragula ex violaceo velluto Cramesino ferè terram pertingente, contecta erat.

Omnium superior vestitus, erant togæ Gallicæ, cum decenti versura & manicis: erant autem cunctæ ex violaceo velluto cramesino confectæ, intus totæ duplicatæ plana puri auri tæla. Manicæ verò transmittendis brachijs erant apertæ additis aureis baccis. Ipse CONSVL, atque etiam vtrique consiliarij (ad maiorem præ alijs ostentandam grauitatem) vtraque brachia intra manicas continebant, Cæteri verò altero brachio in sinistram inserto, dexteram vacuam, humero tenebant.

Saiones ex simili erant velluto, intus duplicati violaceo raso cramesino, sine manicis, ad pectora aperti, aureo clauiculo ad gulam stricti. Thoraces autem ex plana puri auri tæla fulgebant.

Caligæ, superiores quidem ex puri auri tæla, in longum ad genua vsque scissæ, duplicatæ erant eiusdem aureæ tælæ genere. Inferiores verò fulguranti scarlatta ignescebant.

Omnium galericuli ex nigro velluto. Ocreæ ex candido Hispanico corio, scissæ, lato aureæ tælæ limbo circa genua obductæ. Ensium ferramenta pulchrè aurata, Ensium vaginæ ex nigro, Cincturæ ex violaceo velluto, auratis fibulis decoræ, Calcaria & stapedes erant nigra.

Equorum ephippia, phaleræ, habenæ, pectoralia, dorsualia, omnia ex velluto violaceo cramesino, vndique ornata auratis bullulis: Sellas verò per earum extremitates ex auro torti ambiebant funiculi, quemadmodum & in Consulis quoque, Consiliariorumque stragulis factum fuerat.

Porrò ij, qui à pedibus erant, hoc incedebant ornatu:

Galericulis ex candido velluto rubra impendebat pluma.

Thoraces tesseratim ex candido & rubro velluto contexti, aureis fimbrijs inter tesseras ductis, consciβi, intus plana aurea tæla duplicati erant.

Caligæ superiores, ex albo & rubro velluto, in longum scissæ, aureis fimbrijs per scissuras vagantibus; pura aurea tæla duplicatæ, Inferiores verò ex rubro candidoque panno distinctæ. Pugionum autem vaginæ ex velluto nigro, eorundem manubria ex auro, Cincturæ ex rubro serico, Calcei ex albo velluto, Manibus autem portabant dominorum suorum pileos, ex nigro velluto contextos.

Ex .XXX. illis suprà memoratis ministris à pedibus, seni ibant ante Consulem & Consiliarios, Reliqui verò. XXIIII. partim à dextris, partim à sinistris reliquum equitatum comitabantur. Porrò ante senos illos a pedibus, inter Consulem & reliquum equitatum, quaterni Iuuenculi antiquo in triumphis equitandi more, sine sellis & calcaribus, delicatis ferebantur equis, antiquo vestiendi ritu, rubro & candido velluto conspicui.

Rubrum autem & candidum hunc colorem, interpretabantur symbolum ipsorum Indigetis (Patronum appellant) qui est Diuus Georgius.

FLORENTINORVM AD EQVITATVM APPARATVS.

Florentinorum ad EQVITATVM apparatus habebat sic: Erant primo dispositi loco, quaterni egregia statura Iuuenes à pedibus, quorum ornatus erat eiusmodi, Habebant galericulos ex velluto cramesino, candidis additis plumis, Habebant thoraces, collariorum more ex rubro raso cramesino, consciβos, atque ex simplici eiusdem coloris serico duplicatos. Habebant & superiores caligas eadem ratione ex eiusdem coloris raso consciβas, duplicatasq;. Inferiores verò ex rutilanti scarlatta. Porrò eorum calcei & ensium vaginæ erant ex rubro velluto cramesino: Cincturæ ex velluto croceo: Fibulæ & ensium ferramenta, auro relucebant.

Secundum hos autem dispositi quoque erant singuli succedentes singulis. vj. pueri equites, annorum .x. aut .xvj. perpulchris insidentes equis, sine sella, sed candido ex velluto raso tegumento contectis, quod tegumentum rubris lilijs ex serico raso, artificiose confectis, vndique plænum, significabat (vt ipsi quidem aiebant) vrbis Florentinæ insignia. Circum huius autem tegumenti oras, pendebant villi ex rubro serico, & candido argento cõmixti: ad pectora verò pro clausura eius tegumenti pendebat quoque longus ferè ad semiulnam villus, ex violaceo serico & argento distinctus. Equorum quoque capita adornata erant simili tegumento, ex candido raso, cum rubro in frontibus lilio ex raso cramesino, exstante in equorum vertice prægrandi, eaque rubra, in formæ lilij, pluma: horum habenæ crebris adpendentibus villis, contextæ erant ex rubicanti serico. Erant hi pueri vestiti ritu antiquo, Superior corporis pars tegebatur tæla argentea, vndique adornata aureis fimbrijs, duum digitorum

ſpacio diſtantibus. Manicæ plumario opere tegulatim ducto, ex rubro crameſino factæ, aureis etiam fimbrijs fulgurabant. Inferior autem corporis pars, ſimili opere, & colore, ſed maioribus tegularum formis iuxta proportionis rationem veſtiebatur. Thoraces rubro crameſino raſo fulgebant. Caligæ ſuperiores erant ex rubro velluto crameſino, ſciſſæ, raſo crameſino intus duplicatæ, aureis circunductis fimbrijs. Inferiores verò ex rubenti erant ſcarlatta.

Ocreæ à calce vſque ad ſuras ex pura argentea tæla candicabant, aureis ligamentis ad tibias concinnatæ: In quarum ſuperiori ora, aureum leonis caput artificioſe contextum extabat. Singuli autem in capite gerebant ex argentea tæla Æthiopicum turbinem, aurea tæla, aureiſque villis, velut in criſtatum conum ſurgentem, ex quo ſtabat prægrandis rubri coloris pluma, rubro lilio non abſimilis. Poſt hos omnes parati erant Equites, numero .XV. incedentes bini, ſinguli formoſis Hiſpanicis Gianettis vecti, quibus ſuccedebat, velut claudens agmen, NICOLAVS RONDINELLVS, eius Nationis Conſul, cum duobus eiuſdem Nationis Conſiliarijs, inter quos ipſi Conſuli medius deſignatus erat equitandi locus. Togæ erant his omnibus decenter manicatæ, violaceæ, ex velluto crameſino, totæ duplicatæ ex plana argentea tæla, aureis vndique circunductis fimbrijs. Conſulis tamen, geminorumque Conſiliariorum togæ ab alijs differebant in hoc, quòd duplicatæ fuerant ex tæla argentea, triplicibus villorum ordinibus inæquali. Manicæ autem erant à ſummo vſque deorſum ſciſſæ, aureis fimbrijs per ſciſſurarum oras admiſſis: ſciſſurarum autem hiatus aureis globulis, adamantis ſimilitudine ſubacutis, lepidè iungebantur. Saiones ex raſo violaceo crameſino in longum ſciſſi, aureis fimbrijs, tam per ſciſſurarum, quàm extremitatum oras, diductis, aureiſque illiuſmodi globulis, qualeis in manicis oſtendimus, ad ſciſſurarum iuncturas poſitis, ſpectabiles. Porrò Thoraces erant ex rubicanti raſo crameſino, etiam ſciſſi, duplicati rubro crameſino: Habebant *autem ſinguli perpulchram in pectora demiſſam ex fulgenti auro catenam. Galericuli verò ex nigro velluto aureis diſtincti erant clauiculis. Caligæ ſuperiores erant ex velluto violaceo crameſino, per longas ſciſſuras raſum crameſinum, quo duplicatæ erant, tranſmittentes. Inferiores verò ex rubenti ſcarlatta. Ocreæ ex candido Hiſpanico corio, etiam ſciſſo, tranſparente per ſciſſuras, caligarum ſcarlatta.*

Calcaria, ſtapedes, enſes, fibulæ, pulchrè aurata omnia. Cincturæ, enſiumque vaginæ ex velluto violaceo. Equorum ſellæ nigro velluto obtectæ, argenteas per extremas oras oſtentabant fimbrias. Reliqua verò huiuſmodi ornamenta ex eodem velluto, crebris villis ex nigro ſerico, argentoque mixtis circumdabantur. Singula Equitum paria præituri erant quaterni Iuuenes à pedibus, Conſulem verò & Conſiliarios octoni à facie, totidemque à tergo comitari iamiam accincti fuerant, habitu atque ornatu ſuprà deſcripto.

Et iſto quidem tam illuſtri apparatu, hi omnes PRINCIPI obuiaturi, accincti fuerant, ſed, vt ſuprà oſtendimus, Cæſareo ædicto vetiti.

MAGISTRATVVM EQVITATVS.



Agistratuum ordo est duplex, Sunt enim Magistratus superiores, Sunt & inferiores. Superiores sunt Marchio, Ammannus, Scultethus, Gemini Consules. XVI. Senatores, qui recepto vocabulo vocantur SCABINI.

Inferiores Magistratus, Consulum, Senatusque autoritate instituti, sunt XII. Consiliarij.

Gemini præfecti, quos vocant Decanos Societatis Lanariæ, cum VIII, eiusdem societatis Senioribus.

Deinde rei pupillariæ Iudices, quos appellant Orphanorum Magistros.

Item Componendarum iniuriarum Iudices, qui ob id vocantur PACIFICES.

Consulibus, & Senatui, publico munere, subministrant hi:

VRBIS THESAVRARII.

SENATVS INTERPRETES, vulgò appellati Pensionarij.

QVÆSTOR ÆRARIVS, quem dicunt à redditibus.

SCRIBÆ AB ACTIS.

SECRETARII, præter plærosque id genus reliquos, quorum hîc texere Catalogum, satis esset longum, vt sunt

TESTIVM EXAMINATORES,

PVBLICI CENSORES,

SENATORIVS OECONOMVS,

MINISTRI A BREVI VIRGA,

NVNCII PVBLICI,

CAVSARVM PATRONI,

CLIENTVM PROCVRATORES, &c. Qui simul vnà cum vtroque Magistratu, numero fermè ducenti, lectissimis insidentes equis, post Germanicum Equitatum processere, hoc ordine:

PRimùm, Clientum Procuratores, Causarum Patroni, Scribarum ab Actis, Secretariorumq; Amanuenses, qui plurimi sunt: aliiq; ad ciuilem praxim attinentes, innumeri. Deinde Magistratus inferiores. Post quos Nuncij, Ianitores, Oeconomus, Examinatores, Secretarij, Ab Actis, Quæstor, Pensionarij.

His omnibus vestis exterior manicata, honesta longitudine haud indecora, violacei erat coloris, ex serico damascenis floribus contexto. Interior autem ex eiusdem coloris velluto. Galeri ex velluto nigro, Equorum stragulæ, ad terram ferè pertingentes, ex panno nigro.

Hos continuò subsequebantur, THESAVRARII, Viriq; SENATORII, nempe qui pridem Senatorio munere functi, Antiqui appellantur Scabini, qui quidem

dem satis magno, sed incerto sunt numero. (Consiliarij enim cum communium Ciuium turma praecesserant.) Deinde ipsi SENATORES, CONSVLES, SCVLTETVS, AMMANNVS, MARCHIO.

Horum vestis exterior etiam manicata, pro ordinis dignitate paulò productior, tota erat holoserica ex velluto violaceo cramesino. Interior verò, quemadmodū & galeri, ex velluto nigro. Equorum stragulæ, quales illæ superiores.

Isti omnium postremi, proximè PRINCIPI equitantes, vniuersa claudebant præcedentium agmina, Marchione longam, multumq; nodosam (patria consuetudine) ex rudi spina, ante PRINCIPEM gestante virgam.

In vniuersum autē totius huius Equitatus fuere capita. DCCC.LXXIX. Peditum autem. IIII M. Ministrorum à pedibus. CCCC. XVI. Porrò omnium horum simul. V M. CC. XCV.

PRINCIPIS PROGRESSVS.

DIGRESSO iam tam splendido Magistratuum, populíque & Mercatorum Equitatu, En ipse continuò adproperat PRINCEPS, Quem longissimus omnis generis illustrium hominum, Heroum, Ducum, Comitum, Baronum quos vocant Dynastarum, Regulorum, Procerum, Nobilium, Optimatum, subsecutus est ordo. His viam ingressis, continuò augustissimo comitatu, tergemina apparet Maiestas, nimirum ipse CÆSAR, cum geminis illis suis sororibus Reginis, altera FRANCIÆ, altera HVNGARIÆ, totius Europæ velut gemmis incomparabilibus. Quantus autem, qualísque, quàm longus, quàm densus, quàm illustris, quàm decorus, hic fuerit comitatus, nempe accessu Reginarum plusquàm Cæsarius, nemo facilè coniectare non queat.

PEDITVM PROGRESSVS.

ECCE autem vbi iam CÆSAR, GEMINÆQVE REGINÆ, cum vniuersi comitatus agmine PRINCIPEM secuti processere, continuò Peditum illa acies, totius Pompæ postrema, stationis loco se mouet. Primùm verò vtræque alæ (quæ ex solis sclopetarijs constabant) ab aciei lateribus (seruato ordine) declinantes, se gruum ritu expandunt, ac tandem velut in vnam magnæ longitudinis extensi catenam, iuxta viæ capacitatem procedunt quini, Præcedebant hos veluti totius peditatus ductores, tres hallebardarij, præeuntibus, miroque plausu alacriter sonantibus ternis hinc tympanis, totidemque illinc Germanicis tibijs.

His catenatim accedunt terna hastatorum contubernia, præcedentibus ductoribus hallebardarijs quinque, cum quaternis & tympanis, & totidem tibijs.

Deinde hallebardariorum contubernium vnum. Ac mox hastatorum contubernia. XXV. Post hos hallebardariorum contubernia. IX. In quorum medio, tria ferebantur signa, quæ vocant cruenta: quibus signis quaterna præ-

ibant tympana, totidemque bellicæ tibiæ. Hinc hastatorum contubernia .LV.

Quorum vestigijs mox insequuntur hallebardariorum contubernia . XIIII. In quorum medio velut conclusa . VI. volitant signa , quæ appellant violenta, sonantibus ante ipsa signa .VI. tympanis, totidemque tibijs.

His subeunt hastatorum contubernia. LV. Quibus succedunt. IX. hallebardariorum contubernia, que medio suo ordine terna includunt signa, quæ militibus vocantur extrema, ante eá euntibus senis tympanis, ac tot numero tibiis.

Post hos .XXVI. hastatorum contubernia. Deinde hallebardariorum vnum, ac postremum omnium terna hastatorum contubernia. Omnes autem militari incessu gradiebantur quini. Singula omnium contubernia in eo quidem progressu quinquies quinos continebant milites.

PRINCIPIS AD VRBEM ACCESSVS.

INTEREA dum hi succedunt, dum Mercatorum, Ciuium, Magistratuumque Equitatus longè præcedens , pro bona parte vrbem ingressus esset , Ecce PRINCEPS desideratæ vrbis mœnibus fit propior , Fama explicitis confestim alis , expeditis ad celeritatem pedibus , magno plausu , alacri ore, modò cursu, modò volatu, festinabunda ad vrbem contendit.

Est media in vrbe (omnes norunt) augustissimum templum ; Matri virgini sacrum, habens in longitudine quidem passus circiter. C. In latitudine verò plus minus .LV. Ei templo Occidentem versus, incumbit turris ex viuo lapide, ad nubes ferè pertingens, longè vastissima, cum transparentis Architecturæ, tum aspectus amœnitate speciosissima : protenditur autem in altum , ad gradus CCCC. XVI. vltra eos verò gradus surgit in apicem ad pedes plus minus. L.

In ea turri, seu molis magnitudinem, seu rarissimam sonitus dulcedinem spectes, inter sexcentas alias incomparabili laude insignis, pendet campana , nouum nouæ inuentionis nomen, Nomen ei CAROLVS, à CAROLO. V. CÆS. adhuc dum ferè puero, (dum ea baptizaretur) inditum.

Hæc confestim vt desideratum PRINCIPEM audit vrbis mœnibus propiorem factum, totam repentè iucundissimo suo sonitu , præsentissimo iamiam aduentantis Principis nuncio, vndique implet vrbem: præ subita lætitiá & incredibili gaudio, subsiliunt, palpitant, titubant, tremunt omnium pectora, discurritur, plauditur: Viæ, fenestræ, domorum tecta, visendi PRINCIPIS desiderio, implentur, vario tam peregrinorum quàm domesticorum spectatorum confluxu, vndequaque adcurrente.

Erant è conspectu appropinquantis pompæ, super mœnium vrbis summitate, salutandi PRINCIPIS gratia, longo ordine collocata, plus minus. M. cùm ænea, tum ferrea tormenta, quæ horrendis boatibus, Iouis fulgurantis æquent tonitura, exceptis innumeris, quæ vulgo vel vnca, vel semiunca nominantur.

Sed

Sed iam propius adueniente PRINCIPE, quum eodem hoc salutationis genere salutare eſſet tempeſtiuum, en ſubitò redduntur ferè muta, ita vt (præter admodum pauca) prætergredientem ſua boardica acclamatione ſalutare nequiuerint, Nimirum pluuia tum IVNONE, Iaculaturo VVLCANO, denſiſſimos pluuiarum nimbos è nubibus in fauces ſubitò effundente tumultu,


Nam fortè hoc ipſo ſub tempore Diua relicto
Coniuge, ſiderea properè deſcenderat arce,
Solaque fulgenti conſidens nube, Triumphos
Spectatura nouos, raras viſura ſuperbo
Inceſſu pompas, vt vertit lumina celſos
Ad præclaræ vrbis muros, videt ordine longo
Diſpoſitas, vaſto metuendas ore boardas,
Inuentum Vulcane tuum crudele, boardas,
Faucibus ignitiomis ſpuituras fulmine crebro
Horribiles flammas, quæ cœlum atque aëra denſis
Obtegerent fumorum vndis, quò ſcilicet ipſi
Per nubem haud liceat formoſi & PRINCIPIS ora,
Et vix credibilem venientûm cernere pompam.
Hoc metuens, veteriſque memor SATVRNIA IVNO
Inuidiæ, qua nigrantem fuligine fabrum
VVLCANVM, gibboſum illum, claudumque retorto
Crure Deum, à puero inſectata eſt, turbida quando
Ipſum olim ætherio deiectum culmine, prolem
Dedignata ſuam, patrio priuauit Olympo.
Necdum etiam inuiſæ Veneris connubia, triſti
Exciderant animo, queis fœdum ſcilicet ille
Duxit id (inuito Iunonis numine) ſcortum.
His accenſa ſuper, collectas æthere toto
Nubeiſque, nigraſque hyemes, tetraſque procellas
Vulcani peſtem, longè, lateque, per auras
Diffundens, ſubitò in denſas pluuiaſque, graueiſque
Diſſoluit nubes, magno & cum turbine largis
Imbribus effuſis, labefecit cuncta ardenti
Quæ ſtudio ille Faber dudum decreuerat, & ſic
Illa ſuæ indulgens iræ, ſeſe vlta, fefellit
Expectántûm animos, ludoſque, alacreiſque triumphos
Defœdans, & ſtulta ſibi nihil vtile fecit,
Et reliquos nouitatum auidos ſpe luſit inani.
Tantum offenſa poteſt Mulier, ſi quando tumenti
Bile furens, rabidam temerè concedit in iram.

Iucundiſſimum profectò alioqui futurum erat ſpectaculum PRINCIPI, ſi

nihil aduersante Iunone, Vulcanicis illis ludis, tot simul emissis fulminibus, tot simul crepitantib. tonitruis, vidisset aërem flammis vndique accendi, cœlum fumorum vnda inuolui, terram tremore quati.

Iam itaque PRINCIPEM *cum vniuerso Triumphantium ordine perduximus ad vrbis mœnia, superest, vt (fauente* NVMINE*) multũ desideratum introducamus. Antea autem q̃ id adgrediamur, operæprecium duximus, totum describere iter, à porta quam ingressus est, vsque ad eum locum, vbi suam sibi Regiam esse voluit, vt his primùm consideratis, cætera quæ ad spectaculorum rationem attinere videbuntur, sint lectori apertiora.*

PORTA QVA PRINCEPS VRBEM INGRESSVS EST, QVAE VOCATVR CAESAREA.



QVA igitur ingressus est porta, ea est noua illa, quam dicunt Cæsaream, ferè ad meridiem, quà itur Mechliniam, sita, si ad vrbis centrum, nimirum pulcherrimam illam sacrosanctæ Marianæ ædis turrim respicias. Quæ porta vnà cum contiguo & val-

vallo,& mœnib. ac foßis longè ampliß. iam recens, nempe An. M. D. XLIII. *à fundamentis ære publico ex viuo lapide extrui cœpta est. Porrò An.* M. D. XLV. *ferè ad perfectionem deductam,* CAROLVS .V. CÆS. *omnium mortalium primus die .xxv. Nouemb. introgressus, nominatim Cæsaream vocauit, atque ita apud posteros æterno titulo vocandam censuit. Habet in altitud. vsque ad coronicem plus minus .L. pedum, in latitu. verò .lxxx. Columnæ inferiores, primi ordinis, (est enim duplex) architrabes, zophori, & Coronicæ, cum triglyphis, & Metopis, sunt Doricæ dispositionis, quemadmodũ & in eius figura videri liceat. In huius portæ fastigio, ad* PRINCIPIS *introitum (nisi celeritas erectionem præpedijsset) ingens conspiciendus fuerat Abacus, cum sua Coronide & Architrabe .lxx. ferè pedum latitudinis .xij. verò altitudinis, cum hac pedalium literarum inscriptione:*

PHILIPPO, DIVI CAROLI .V. CÆS. AVG. F. MARCHIONATVS SACRI IMPERII, PRÆCLARÆQVE HVIVS VRBIS, CÆTERARVMQVE AMPLISSIMARVM ISTARVM DITIONVM, EX PATERNA INSTITVTIONE HÆREDI, PRINCIPI NOSTRO EXOPTATISSIMO, OB VALDE DESIDERATVM IPSIVS, AB EXTREMIS VSQVE GADIBVS AD NOS ADVENTVM. S. P. Q. A.

Super cuius Abaci Coronide, in dextero quidem angulo iam tum locandus erat Vir siluestris, cum vexillo insignium Marchionatus Sacri Imperij: In sinistro verò, Siluestris mulier, cum vexillo insignium vrbis Antuerpiæ. Inter vtrunque autem medij statuendi fuerant publici vrbis Tubicines, alijve id genus Musici, magno concentu aduentantem PRINCIPEM *suo more salutaturi. Sed hæc omnia tametsi ferè parata, ob parandorum præcipitantiam, haud fuere exhibita.*

Ante huius portæ ingressum, ex durißimo lapide pons est, longitudinis plus minus .LXXXV. passuum, se in viam, quæ ad Meridiem MECHLINIAM *ducit, crebris arcuum fornicibus extendens: Ad eius radices in exteriori ripa, locandi, ac iam tum ex crassißimis quernæ materiæ truncis colore lapidis Numidici, parati fuerant gemini Obelisci, singuli altitudinis .LXXX. pedum, alter in* DIVI CAROLI .V. *alter in* PRINCIPIS PHILIPPI, *eius* F. *honorem: Quorum ille in stylobate sic inscriptus,* DIVO CAROLO .V. CÆS. AVG. *hic verò sic,* PHILIPPO, HISPAN. PRINC. DIVI CAROLI .V. F. *Sed ob causas antè redditas, locari non potuère.*

LOCVS IN QVO PRINCEPS RECEPTVS

LOcus Regiæ Aulæ, vbi ipsius progenitores diuerti consueuerunt, est Monasterium Diui Archangeli Michaelis, ad brumalem occidentem in Scaldis fluminis litore fundatum, tantæ ædium capacitatis, vt & ipsum Principem, & Cæsarem, & vtramque Reginam satis commodo accipiat hospitio.

ITER, QVO TRIVMPHI POMPA DEDVCTA.

ITer, quo à superius descripta porta, ad Archangeli vsque ædem Triumphus inter varia spectacula perductus est, continet sua longitudine passus amplius bis mille ducentis, numeratis pro singulo passu, quinis Antuerpień. seu Ro. ped. mensuris.

Est autem huius itinerisdimensio, situsque eiusmodi.

A porta Cæsarea in occidentem, rectà itur, per centum & amplius passus, ad Diui vsque Georgij cœmiterium. Deinde, vestigijs ad Septentrionem versis, per viam, quæ à publico Xenodochio appellatur hospitalaria, imus ad Triuium, vulgò vocant triangulum, distans à iam dicto cœmiterio, fermè. CC. LXXX. pass. A Triangulo (exiguo facto ad Orientem diuerticulo) per viam Coriariam, recto incessu, vsque ad pontem qui vocatur Marinus, vbi forum frumentarium, sunt. CC. pass. Transito hoc ponte, qui latitudinem mediocris fori obtinet, sequitur via Catharinaria, quæ ducit ad pontem eiusdem appellationis, nempe Catharinarium, distantẽ à ponte illo Marino C. XL. pass.

Hic pons continuò deducit ad alium pontem, qui à contigua pridem porta, vocatur Viteus, distantem à Catharinario C. pass. Post hunc ad C. XVII. passus, fit obuius pons Minoritarum, qui vulgò vocatur Fraterculorum.

Inde vsque ad pontem vaccarium, à porta quam olim ibi vidimus sitam, sic nuncupatam .C. plus minus numerantur passus.

A ponte vaccario, fit reflexus ad Meridiem, atque inde per eiusdem appellationis viam, vsque ad pontem lacteum .C C. XVI. sunt passus.

Rursum à ponte lacteo fit reflexio ad Occidentem, per longitudinem fori, vsque ad ædem Senatoriam, pass. CC. XX.

Relicta à tergo æde Senatoria, paulùm declinando ad læuam, occurrit inter Meridiem & Occidentem via quæ appellatur Alta, In ea est quadriuium, vbi forum Linarium. Id quadriuium ab æde Senatoria abest pass. CC. XXV.

Ab eo quadriuio, ad portam vsque, quæ habet denominationem à Diuo Ioanne, numeramus passus. C. Post hanc portam visuntur Ædes monetariæ, quæ ab eadem porta absunt pass. C. XV.

Inde ad Archangeli Michaëlis, vbi & destinata Regia, & totius Triumphalis huius itineris Meta, sunt pass. CC.

Totum autem istud ipsum iter, ab vtroque Triumphalis viæ latere, velut consitum erat quadratis pilis, vulgus columnas, alij (vt antè significauimus) pilastros vocant. Porrò distabant alteræ ab alteris, aliæ denis, aliæ quindenis pedibus, iuxta locorum exigentiam. Erant verò bis mille ducentæ plus minus, coloris velut candidi marmoris. Coniungebantur inuicem Architectorijs Supercilijs, seu (vt alij) Architrabibus, transuersim per Capitella ductis. A Capitellis verò per intercolumnia dependebant duplici flexu ex virentibus frondibus pulchrè concinnata semicirculari forma coronamenta.

Super alternis item Pilastris alterni conspiciebantur circuli (Itali Festones appellant) ex arborum folijs antiquo ritu compositi: hi suo orbe singuli nouenos continebant pedes: Habebant autem intra orbem, aut ad viuum depictas CÆSARIS, PRINCIPISq; , *& vtriusque* REGINÆ *imagines, aut eorundem, Marchionatusq; & Antuerpiæ insignia, Titulorumq; & Symbolorum inscriptiones. Deinde alternis rursum Pilastris alterni ardebant Cærei, ex candidissima, eaque solida compositi cæra, auratis stantes lychnuchis.*

Circulorum autem cum imaginibus, titulis, symbolis, inscriptionibus, & alternis cæreis, hic erat ordo:

PRimùm se offerebat CÆSARIS *ad viuum delineata imago,*
Post hanc ardens cæreus. Deinde Imperij insignia, Rursum cæreus.
Hinc NOVI PRINCIPIS *viua effigies, Iterum cæreus.*
Mox Principis insignia, Inde cæreus.
Inde magnanimum Principis symbolum, maiusculis literis scriptum:
NEC SPE NEC METV. *Hinc iterum cæreus.*
Deinde Diuæ HELEONORÆ, *Franciæ Reginæ expressus vultus.*
Rursum cæreus. Mox HELEONORÆ *insignia, Mox cæreus.*
Hinc maiusculis inscriptus titulus:

DIVAE HELEONORAE, FRANCIAE REGINAE, HEROINAE OPT.

Post hunc titulum, iterum cæreus.
Inde D. MARIÆ *Hungariæ Reginæ cunctis nota similitudo. Inde cæreus.*
Inde D. MARIÆ *insignia. Mox iterum cæreus. Post quem hic titulus,*

MARIAE REGINAE HVNGARIAE DIVAE TVTELARI.

Tum cæreus. Tum deinde Marchionatus insignia, Rursum cæreus.
Tum hic titulus, MARCHIONATVS SACRI IMPERII.
Vltra hunc iterum cæreus.
Vlterius verò Vrbis Antuerpiæ insignia.
Post quæ rursum cæreus. Ac mox deinde hic titulus,

ANTVERPIA, MARCHIONATVS SACRI IMPERII METROPOLIS.

Hinc ardens succedit cæreus.
Deinde vrbis Antuerpiæ primum (nam tria spectabantur posita) symbolum, nempe Candida in circuli sui orbe depicta catella, cum huiusmodi inscriptione:


FIDE NVNQVAM POLLVTA.

Hic rursum ardet cæreus.
Hinc alterum succedit Symbolum, Nempe intra circuli orbem, hominis manus candidorum liliorum cum surculis manipulum protendens, adscriptis

COLVMNAR
IAM FAC
TY

Hæ, quòd in hoc typo tantùm octo

monſtrationis duntaxat loco (quoad per chartæ capacitatem fieri potuit) fa
viæ vndecies centenæ, in læuam verò totidem, hoc eſt in vniuerſum, bis mil
ſpeciem protenſæ, nulla quiuere ratione, niſi & in parte & ſimplici ordine
bis millenis ac ducenter



Singulæ hæ columnæ, ſeu, vt vocant, pilaſtri, cum
Cum Circulorum verò orbibus . xxiij .


Singuli orbes habebant in Diametro quidem ped
In rotunditatis autem circumferentia, pedes . ix.

Intercolumnia, hoc eſt columnarum diſtantiæ, ha
notaminus) pedes. xv. Nonnunquàm verò, p

I. DE QVIBVS
. MENTIO,
VS.

:onſpiciuntur, id compendiariæ de-

, Siquidem cùm fuerint duplici ordine, nimirum in dexteram triumphalis
:ntenæ, à porta Cæſarea ad Principis vſque Regiam, in longiſſimæ porticus
ypum tranſferri, Quare quiſquis es, hos ſimplicis ordinis octonos, pro
ati ordinis habeto.



rchitrabe & ſtylobate, erant altitudinis ped. xx.

:, vt plurimum, (quemadmodum & aliâs quoque
:orum exigentia, ped. x.

hisce verbis:

CANDORE INTEGRO SEMPER. *Iterum cæreus.*

Deinde tertium symbolum, Fons limpidißimis circumquaque scatens aquis, adiuncto huiusmodi scripto,

FONS IRRIGANS OMNIA. *Rursum cæreus.*

Prius symbolum duplici quidem ratione adsumptum est, Primùm, quòd catella, (quo animali nihil quidquam hero vel fidelius vel obsequentius) propriè subditorum erga dominos fidem præ se ferre videtur. Nam, etsi, tam veteribus, quàm etiam recentioris ætatis ingenijs, fidem vbique significatam scimus per mutuò implicatas manus, sed eam vulgatam illam & communem quidem, hoc est dubiam, seruantis ne, an promittentis: dantis ne, an accipientis: inferioris ne erga superiorem, an è contrario: nostra tamen catella, eáque candida, & propriam & certam habet significationem. Nempe vrbem ANTVERPIAM *præ cæteris omnibus, non modò vulgatam illam & quibusuis communem, sed incredibili candore raram quandam, hoc est, nunquam pollutam, constantem, semper intaminatam, semper infractam, semper integram, erga suos Principes, mira obsequentia seruasse fidem: Cuius rei exempla sunt in promptu, cùm illustria, tum plurima. Deinde hac potißimum occasione, quòd cùm nos An. M.D.XX. in receptione* DIVI CAROLI .V. *tum* CÆSARIS DESIGNATI, *per omnia nostra pegmata, innumerisq́; alijs in locis, Latinè, Græcè, & Hebraicè huiusmodi posuissemus symbolum,* FIDES ET AMOR. *Postea quidam in eorum spectaculis, velut alienis se vestientes plumis, nostrum illud & antiquum & peculiare symbolum, pro suo vsurpare non sunt veriti. Idcirco eo (ne apud eius rei ignaros ab ipsis accepisse videremur) omisso, nostram istam candore insignem catellam illius loco adsumpsimus, addito conuenienti symbolo* FIDE NVNQVAM POLLVTA.

Alterum symbolum est eiusdem ferè cum superiori significationis.

Tertio symbolo subindicatur, florentißimam hanc vrbem SVPERNO NVMINI *sic esse cordi, vt singulari eius beneficentia (ab eo enim omnia nobis proficisci bona, ingenuè fatendum) non modò prosperrimo isto rerum gaudeat successu, sed & in cæteras quoq; alias tam quæ remotiores, quàm quæ propius circum iacent, vrbes, regna, prouincias, sua bona, velut vberrimas è perenni fonte scaturigines, latißimè, liberalißimè, opulentißimè diffundat, ita vt ex promanantib. ab ea riuulis, cuncta quæ ad humanæ vitæ vsum faciunt, commoda vbertim fluant: Cuncti inde ditescant, fœlicius, copiosius, abundantius habeant. Quod & nonnulli, inuidia cæci, ad diuinam hanc beneficentiam obringentes, vel inuiti coguntur fateri, & cæteri plerique omnes libenter agnoscunt. Id planè intelligens luculentiß. Poeta Iulius Scaliger, in vrbium descriptionib. nostram Antuerpiam docto hexasticho sic loquentem introducit:*

Oppida quot spectant oculo me torua sinistro,
Tot nos inuidiæ pallida tæla petunt.

LVGDVNVM omnigenûm est, operosa LVTECIA, ROMA
Ingens, res VENETVM vasta, TOLOSA potens:
Omnimodæ merces, artes, priscæque, nouæque,
Quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.

Hi suprà memorati circuli, sic (alternatim interlucentib. cæreis) suo ordine positi, sæpius rursum rursumq; (donec toto confecto itinere ad Regiam vsque perueniretur) eodem seruato ordine, iterabantur.

Hîc videre erat omnium amœnissimum spectaculum, nempe continuam amplius duorum millium passuum, inter tam numerosas columnas, frondenteisque circulos, & lucenteis cæreos ambulationem. Sanè dixisses te, tam longo, tam raro, tam pulchro prospectu spaciari in iucundissima insuetæ longitudinis Porticu, occurrentib. interea vndique suis locis, speciosissimis Pegmatum, Arcuumq; triumphalium positionibus. Et hæc quidem tot Columnarum, cum Architrabibus, Stylobatisque, & cætero suprà memorato ornatu, fuêre octonum dierum opus.

Strauimus itaque nunc Triumphalis viæ iter: aperuimus triumphalem portam: ostendimus & quà Triumphus in vrbem recipiendus, & vbi ad metam peruenturus fuerat. Iam restat, vt reliquum ob oculos ponamus Triumphum.

PRINCEPS VRBEM INGRESSVS.



Xpectatissimus igitur PRINCEPS, cum vniuerso Triumphi apparatu, portam pertransiens, multùm desideratam, nec vnquam antea sibi visam, tandem lætus suam ingreditur ANTVERPIAM.


Ingredienti autem, ecce primo intuitu, ab vtroque viæ latere, quantum oculi prospicere valent, apparent creberrimæ illæ cum suis ornamentis & ardentib. alternatim cæreis, Columnæ.

PEGMA PVBL. AD D. GEORGII, CVIVS FIGVRAM VERSA PAGINA SPECTATO.

AD centum verò & amplius passus, à portæ ingressu ad S. Georgij vsque cœmiterium, vbi aurigarum & curruum statio, progresso PRINCIPI, elegans occurrit Pegma, opere Corinthio suis columnis, basibus, spiris, plinthis, epystiliis, zophoris, trabibus, perpulchrè adornatum, cum omnib. suis symmetriis hîc graphicè deliniatum, altitudinis cum impositis compartimentis, (sic enim Pictores vocant foliacea quædam, circumfusa picturis ornamenta) pedes. C. latitu. verò ped. lxv. In quo huiusmodi spectabantur personæ:

Adstabat æditiore loco PRINCEPS, ad viuum effigiatus. Adstabat ei à læua Dea CLEMENTIA, specie formosæ virginis, vestitu candido, candida gerens manu lilia, caput lileaceo serto redimita: Adstabat ei è regione venustæ puellæ similis, VRBS ANTVERPIA, amictu duplici, superiori

Altitudo cum compartimentis, ped. ferè .C. Latitudo ped. lxv.



ri (qui erat breuior) candido , & inferiori (qui erat ad terram vsque profusus, longior) rubro : his enim coloribus ceu peculiari symbolo hactenus vrbs ea perpetuò vsa est: Habebat autem in capite duorum pedum altitudinis turrim, ad eius quæ in hac vrbe conspicitur altissima, similitudinem efformatam, verecundo gestu, prono pectore, inclinato vultu, demissis oculis, desideratum PRINCIPEM, *adstantemque ei* CLEMENTIAM, *officiose salutans: Quod & cæteræ eam à tergo (ceu pedissequæ) comitantes, pari verecundia & gestu faciebant. Erant autem hæ:*

FIDES, *venusta adolescentula, in veste candida, dextera ostentans anulum, sinistra vlna candidam fouens catellam.*

GRATITVDO, *venusta itidem Adolescentula, eodem vestita colore, cane in pedes erecta, sibi adblandiente.*

REVERENTIA, *virgo detecto capite, demisso vultu gratiosa.*

OBEDIENTIA, *puella, specie ancillæ ambabus manib. iugum ferens.*

His accedebant, pari gestu, AMOR & CANDOR, *vtrique Iuuenes ætatis gratia pares :* AMOR, *veste punicea, gerens manu Cor ardens igni, & flagranti vertice flammam.* CANDOR, *habitu candido, liliorum flores cum surculis præ se ferens.*

PRINCEPS & *adstans* CLEMENTIA, *benignè se acclinant, salutantesque alacri gestu, blando vultu, accipiunt.*

In Abaco supra Epistylion huius Pegmatis sic scriptum legebatur.

EN OPTIME PRINCEPS, EN TVA ANTVERPIA, BENE AVSPICATO TVO ADVENTV MVLTO GAVDIO PERFVSA, SE TIBI, TVAEQ; CLEMENTIAE PRORSVS ADDICTAM, QVA ERGA SVOS PRINCIPES SOLITA EST FIDE, OBSEQVIOQVE ET OBSERVANTIA, VLTRO OFFERT, TRADITQVE.

In superiori zophoro semipedalibus literis:

PVRISSIMO ERGA DESIDERATISSIMVM PRINCIPEM AFFECTV.

In zophoro inferiori.

VENISTI TANDEM, TVAQVE EXPECTATA TVERI ORA DATVR.

SEQVITVR HISPANORVM Arcus priuatus, cum Columnis & gemino vallo, in via Hospitalaria ad Sorores Tertiarias: Cuius typum

 vide

vide tertia post hanc pagina.

AB hoc tam suaui Spectaculo, ad .C. fermè passus, sequitur mox aliud. Hispani erexêre geminas immaneis Corinthiaci operis Columnas, sed stylobate Tusco innixas, altitudinis (præter stylobaten) plus minus .lviij. pedum, versicoloris marmoris pictura (qualis Iaspidis) valde conspicuas, Capitibus & Basibus pulchrè auratis. Altera in fastigio habebat insuetæ magnitudinis Cæsaream, altera Regiam coronam, easq; inducto auro, viuaq; imitatione expreßis lapillis & gemmis intersparsis, valde splendidas.

In vtrouis earum stylobate, Hispanica lingua, bis positum legebatur:

ESPAÑA. ESPAÑA.

Ad dimidiatas verò Columnas, singulæ quadratæ pendebant tabulæ: In hac scriptum erat, PLVS, *in illa,* VLTRA.

Post hasce columnas (haud longa quidem distantia) ijdem excitauêre geminos, ingenteis, quadrangulos vallos, ab vtroque viæ latere inuicem ex opposito respicienteis, sic pictos, vt ex veris quadratis saxis viderentur constructi.

Erant autem duplicis (vt in figura videri licet) ordinis. Inferiori quidem vastius erat corpus, crebris pinnis supernè munitum. Superiori autem multò minoris magnitudinis extabat quadratæ turris species. Intra pinnas inferioris ordinis magno numero latitabant Hispani milites, capita fulgentibus galeis tecti. Hi à centesimo passu conspecto PRINCIPE, *incredibili fragore, creberrimo ictu, cœpêre quisque è suo vallo eiaculari, cùm grandium tormentorum flammas, tum per factitia draconum ora, terribilia arte compositorum, latéque volantium ignium genera, adeò vt cœlum tot ignitis iaculis videretur operiri, idque sine intermißione, donec* PRINCEPS *ad passus aliquot eos à tergo reliquisset.*

Ab vtrarumque superioris ordinis turrium fastigio, longè in aëre fluctuabant terna hastata vexilla: In his quidem CÆSARIS, FILII*que, & gentis Hispanicæ, quod est Virginis matris simulachrum: in illis verò* CÆSARIS *rursum* FILIIq; *insignia, addito Diuo Iacobo inter prostrata Barbarorum agmina bellaci equo insidente, nudoq; ense Barbaros grauiter cædente.*

Erant autem in singulo turrium fastigio, terni, qui Martijs tympanis, totidemque, qui (propius accedente PRINCIPE) *bellicis tubis strenuè insonabant, omnes vestiti, candidi carneique coloris serico.*

His duobus vallis, adnexi erant lignei, lapidea specie fabricati muri, in .xlij. passus producti, positis super singulo muro nouenis Doricæ formæ columnis, Porphiretici coloris, cum suis basibus & capitellis, siue transuersis supercilijs, è quorum capitellis dependebant per intercolumnia, in semicirculos compositæ virentes arborum frondes: distabant autem ab seinuicem vicenis pedibus, intra quod spacium, hoc est, intra singula intercolumnia spectabantur, in dextro

tro quidem muro, singulæ duodenum pedum altitudinis Regum Hispanorum statuæ, numero septenæ, nimirum præcipuè illorum, qui præter cæteros illustribus rerum bene gestarum meritis habentur insignes, quorum per ordinem Hispanica lingua huiusmodi legebantur tituli:

DON PELAYO.
DON ALONSO CASTO.
DON FERNANDO EL PRIMERO.
DON ALONSO EL SEXTO.
DON ALONSO OCTAVO.
DON ALONSO EL TERCERO.
DON FERNANDO CATHOLICO.

In sinistro autem muro, è regione horum Regum, & totidem numero, & pari magnitudine per singula intercolumnia, locabantur singulæ Virtutum statuæ, hoc ordine cum his inscriptionibus:

FIDES.
SPES.
CHARITAS.
PRVDENTIA.
TEMPERANTIA.
IVSTITIA.
FORTITVDO.

Geminis his muris; ab gemino illo vallo lineatim deductis, continuò nexu adiunctum construxerant peregregium Arcum triumphalem, Dorica forma, duplici facie, triglyphis, metopis, triplicisque transitus amœnitate spectabilem, habentem in latitudine pedes .lxv. in altitud.lxxx. In profunditate verò xxxij. Transitus medius plus minus .xv. patebat pedes. Duo autem reliqui vij. cum dimidio, quorum altitudines ex duplici quadrato constabant.

In vtraque facie, ab singulo latere maioris, hoc est medij transitus, stabant immanes ænei coloris statuæ, nempe altitud.xvj. pedum: cum stylobate autem ped.xxv. ex prævastis arborum truncis excisæ, tanto ac tam raro artificio inductis coloribus, vt non modò pictæ, sed ex fusili ære conflatæ viderentur.


Erant autem antiquo ritu prorsus nudæ, Nimirum in priori facie, duo horrendæ formæ Colossi: In posteriori, duo similis formæ Termini, hi vtrinq; columnarũ loco, magno connixu sustentabant architrabalium extensionũ pondera.

Super huius Arcus coronice, in singulis quatuor angulorum pluteis, singuli stabant .xxxv. pedum à pluteo altitudinis Ægyptiaci Obelisci, ex simulato Numidici coloris marmore, habentes singuli in suo fastigio singulas rotundas auro rutilantes pilas. In quorum quidem quatuor Obeliscorum medio, super tota Arcus mole, templum Iani, sphærica forma, bissenis ænei coloris, Ionici generis columnis fultum, magnam afferebat spectatoribus voluptatem.

Ad dexteram huius templi conspiciebantur sublimes in aëre, CAROLVS


EIVSDEM ARC

Tota altitudo arcus ped. lxxx. Latitudo ped. lxv. Profund. ped. xxxij



TYPVS HISPA

ICHNOGRAPHIA,



I HVIVS ARCVS.

V. CÆS. cum PRINCIPE FILIO, aurata antiqui ritus panoplia decori, denum pedum statura proceri, templum (parta vndique pace) claudentes. Ad læuam verò OCTAVIVS AVGVSTVS CÆS. pari decore & statura, templum olim à se clausum, velut demonstrans.

Infra hos in superiori Arcus zophoro, in abaco, sic scriptum erat.

VT QVONDAM AVGVSTVS, NVNC CLAVSIT LIMINA IANI
CAROLVS, IN MVLTOS NON RESERANDA DIES:
SIC ET SPERAMVS (DOMITO PRIVS ORBE) PHILIPPE,
VSQVE SVB IMPERIO CLAVSA FVTVRA TVO.

Intra maiorem, hoc est medium Arcus ingressum, in latere dextro è viuis coloribus miro artificio depicta erat historia, vel solo audito CAROLI. V. *nomine, turpiter fugientis ex Pannonia* TVRCÆ. *In altero verò latere, pari artificio facta, contemplanda erat historia, captæ in Africa* GOLETTÆ, *subiugatæque magnæ vrbis* TVNETI, *& subitò fugati ex Numidia fortißimi prædonis* BARBAROSSÆ. *Quare in posteriori Arcus facie ad alterum quidem latus, in superioris zophori abaco, hanc posuère scriptionem:*

VT PRÆCLARISSIMA PATRIS TVI GESTA (QVORVM MAGNAM PARTEM CAPTA CARTHAGO SIBI VENDICAT) OMNIVM OCVLOS SVO SPLENDORE PERSTRINGVNT, SIC EXIMIA TVA VIRTVS, MAXIME PRINCEPS, TOTA ASIA BARBARORVM ANIMIS TERROREM INCVTIET.

In altero verò latere istam:

HOS PRINCEPS OPTIME, QVOS IN PANNONICO BELLO FOEDA FVGA E PARENTIS TVI INVICTIS MANIB. ERIPVIT, ET QVOS HABET ASIA ATQVE AFRICA, SERVAT TIBI DEVS, AVT REDVCENDOS AD AGNITIONEM NVMINIS, AVT PRORSVS DELENDOS.

A fronte Arcus, in latere vergente ad Regum Hispanorum statuas:

HIS MAIORVM TVORVM REGIIS IMAGINIB. PRINCEPS MAX. LONGISSIMA SERIE PER GENVS MATERNVM DVCTIS, NON SOLVM TIBI RERVM MAXIMARVM IMITATIO PROPONITVR, SED AD MAGIS CLARA, MAGIS ILLVSTRIA, MAGIS GLORIOSA PRÆSTANDA ADMONERIS.

In altero latere, quod respicit ad Virtutum statuas:

QVOD HOS OMNEIS GLORIÆ CLARITATE SVPERAVERIS, QVVM SIS ET CAROLI FILIVS, ET PHILIPPVS, INDVBITATVM ESTO AVGVRIVM, EO TIBI CVM HIS TVIS VIRTVTIB. PERVENIENDVM ESSE, QVO NON SIT VLTERIVS.

In supercilio templi Iani:

DIVO PHILIPPO, DIVI CAROLI .V. CÆS. F. PRINCIPI MAX. REIPVB. CHRISTIANÆ RELIGIONEM AC PACEM, PATERNIS VICTORIIS INSTAVRATAS, SVPERNI NVMINIS VOLVNTATE FOELICITER IN POSTERVM CONSERVATVRO, CONTRAQVE QVOSVIS HEROICE DEFENSVRO.

Super iam dicta coronice, ab altero ad alterum vsque pluteum, erat susten taculum, crebris tornatilibus columnulis fultum, in quo (transgresso iam per vallos PRINCIPE) diuersi non exiguo numero, mirifica præstantes arte Musici, varijs instrumentis, nimirum ductilibus tubis, tibijs, fistulis, incredibilem arte compositum ædebant concentum. PRINCIPE autem iam Arcui approximante, ecce de improuiso apparent in Arcus summitate, gemini velut Angeli, candidum ex serico raso, lintheum, carneo suffultum, versus PRINCIPEM sensim demittentes, cum huiusmodi Hispanicæ phraseos versuum inscriptione:

MVCHO MAS, Y MAS ALIENDE,
PRINCIPE, SEÑOR DE SPAÑA
HASTA SER MONARCA SOLO
PVES TV POTENTIA ESTA MAÑA
QVE SIN TERMINO SE ESTIENDE
AL VNO, Y AL OTRO POLO.

Quæ Latinè sic verti possunt.

MAGNVM SANE AC CERTVM ANGVRIVM,
TE OLIM (HISPANIÆ PRINCEPS)
SVMMVM FORE RERVM MONARCHAM,
DVM TANTA TIBI FVTVRA EST POTENTIA,
VT SESE VLLO ABSQVE TERMINO
AB ALTERO EXTENDAT AD ALTERVM VSQVE POLVM.

His autem apparentibus angelis, continuò è iam dicto sustentaculo, alia audiebatur Musica: quæ ex meris Germanicis buccinis constans (ipsi Germani Cincas, nostri Cornettas appellant) insueta harmonia, idque musica ratione in varias voces distincta, prætereuntium mirificè afficiebat aureis, donec PRINCEPS inde ad centum vsque passus abijsset.


Porrò singuli hi Musici à vertice vsque ad calcem, vnius perpetui coloris vestitu, erant insignes: Nanque & calceos, & tibialia, & collaria, & galericulos, & plumas, habebant ex crocei coloris velluto.

Vniuersum hoc tam ingens opus, solertia FRANCISCI MONTESÆ HISPANI .xj. Augusti cœptum, intra .xxxij. dies, non sine magna quidem spectantium admiratione confectum est, adhibitis, (præter insignes aliquot Pictorum, Architectorumque præfectos) plus minus .C.xc. varij generis opificibus, insumptis in eo, circiter. VIM. Carolæis.


PRIVATVS GENVENSIVM ARCVS,

In via hoſpitalaria ad triangulum.

Tota alt. ped. C. Lat. lxx. Profund. ped. xc.



ICHNOGRAPHIA EIVSDEM ARCVS.



VISO non sine ingenti voluptate Hispanorũ Arcu, mox transitum est ad alium: quem .C. inde numeratis passib. ad eum locum, qui vulgo vocatur Triangulus, posuêre NEGOCIATORES GENVENSES, magnitudine molis, amœnitate structuræ, varietatéque picturæ admirabilem, habentem in latitudine pedes .lxx. In profunditate pedes .xc. In tota verò altitudine cum eleuatione & impositis statuis, pedes .C.

Erat autem hic Arcus duplici facie, vno transitu, totus Corinthius.

Transitus habebat in latitudine quidem pedes .xvj. in altitudine verò xxxij. duobus nimirum constans quadratis.

Habebat à fronte, habebat & à tergo, tetrastylos (cum duplici pulcherrimarum Columnarum ordine) porticus.

Singuli ordines, duo scilicet à fronte, ac totidem à tergo, ex quaternis constabant columnis, binisq; introrsum respondentib. pilis, ita vt in singula porticu octonæ essent columnæ, & quaternæ pilæ: quæ simul in vtraq; porticu faciebant columnas .xvj. pilas .viij. hoc est in vniuersum indiscriminatim .xxiiij.

Erant & columnæ pariter & pilæ, colore velut cæsio, ad Marmoris imitationem (eiusdem coloris intercurrentibus venis) luculenter depictæ, auratis spiris, auratis vndique & capitellis, & foliorum, & volutarum ornamentis.

Singulæ columnæ, quemadmodum & pilæ, singulis, iisque aspectu pulcherrimis, nitebantur stylobatis.

Stylobatæ autem per quatuor eorum latera, ad viuam imitationem coloris ænei, admodum graphicè depicti, variis rerum formis mirificè condecorabantur. Erant enim per omnes stylobatas prioris porticus, variarum Virtutum, Dearum, Deorumq; velut emblematica adumbrata symbola: Per omnes verò stylobatas posterioris porticus, rerum aliquot ab Hercule gestarum simulachra, spectantium oculis præsentabãtur. Proinde, sic omnia erant exactè absoluta, vt nihil, neq; ad operis formam, venustatémue, neq; ad artificium, neq; ad antiquitatis æmulationẽ, quicq̃ aut addi, aut inde demi potuisse videretur.

In magno zophoro anterioris, atque item posterioris faciei, literis pedalib. huiusmodi legebantur separatæ inscriptiones. In anteriori quidem sic:

PHILIPPO, IMP. CÆS. CAROLI .V. AVG. F.
OPTATISS. GENVEN. FACIEBANT.

In posteriori verò sic:

ET PRIVATÆ PIETATI, ET COMMVNI OMNIVM LÆTITIÆ.

In fronte, hoc est anteriori parte totius molis, supra iam nominatum zophorum, tres in ordine conspiciebantur ingentis amplitudinis Abaci (quorum medius cæteris longè erat maior) elegantissima pictura, imaginib. humanam staturam excedentibus insignes.

In vno quidem visus est sedere CAROLVS. V. CÆS. laureatus, super ingenti bicipiti Aquila, cum Sceptro aureo in dextera, insigni armatura, nudis brachijs, nudis tibiis, sed pedibus cothurnatis Romanam præ se ferens antiquitatem: Adstabat ei à latere PHILIPPVS FILIVS: Aderant his, in demissa deorsum nube Iuppiter, trisulco fulmine: Apollo, arcu & talis: Mercurius, caduceo: Pallas, hasta & ægide: Mars, clypeo, hasta, & ense: Neptunus verò trifido suo tridente, & iuxta se equo, satis noti: Hi tradere videbantur PHILIPPO, singuli sua arma, cum hac subscriptione:

HIS ARMIS QVIBVS NOS COELESTES
TE DONAMVS PHILIPPE, ORBEM TIBI
A FATIS COMMENDATVM TVEARE.

In alio Abaco conspectus est homo senex, toto corpore nudus, habens manus ferreis vinctas cathenis: eum circunsidebant tres nudæ mulieres, quas apparebat esse treis illas sorores, quas Parcas vocant: hæc lanam aptabat colo: ista assumpto colo, lanam in fila diducebat: illa verò abrepta è colo fila, in glomeris orbem redigere videbatur.

Hic autem his subscriptus erat ex Catulli poematis desumptus versus:

CVRRITE DVCENTES SVBTEGMINA, CVRRITE FVSI.

In tertio Abaco homo quispiam bellator, PHILIPPO PRINCIPI non absimilis, talaribus, aliisque nonnullis Deorum armis conspicuus, clypeum sinistra prætendens, stricto gladio conficiebat Leonem, aliasque quasdam terribileis circum se beluas, circum seminudis hominib. grauiter (vt videbatur quidem) vulneratis: Virgines autem quædam etiam seminudæ, ac recentibus vulnerib. sauciæ, fugientibus similes (Harppias fuisse arbitramur) versicolorib. alis auolare videbantur. Porrò huic picturæ hæc erant subscripta:

NIL MIHI VOBISCVM, PROCVL, O PROCVL ESTE PROPHANI.

Præter hos Abacos, erat & quartus, subter eleuationem positus, in quo perlepidè depicti erant duo viri nudi: alter quidem ex leonis spolio coniiciebatur esse Hercules: alter verò magnus ille Atlas, qui sumptum inter brachia Mundi orbem, videbatur magnis conatibus tradere astanti Herculi, hoc adscripto ex Vergilianis Bucolicis hemistichio:

EGO HOC TE FASCE LEVABO.

Vltra hæc in fastigio, seu (vt Architecti loquuntur) eleuatione huius Arcus, sedebat raro artificio dedolata nudæ mulieris statua, ingenti eoque aurato Delphino incumbens, dextera quidem tenens aureum ferè tripedalis amplitudinis circulum: sinistra autem auream anchoram, tanta celsitudine in aërem subuecta, vt cùm esset ingenti proceritate ex ingenti trunco formata, vix communem nostram videretur æquare staturam.

Huic autem in Abaco subscriptum erat huiusmodi dictum:

QVI VITAM OPTAS, HANC VITAM VIVAS.

Erant præterea in singulo summæ Coronicis angulo, singula fluuiorum quo-

vundam eiusdem magnitudinis nuda & inuerecunda simulachra, ita super extremitatib. Coronicis sese librantia, vt iamiam omnino deorsum casuris essent simillima, aureis verò idque capacissimis vrnis videbantur desuper fundere aquam. Coniectura erat hos fuisse, alterum illum, VARVM: *alterum hunc,* MACRAM *fluuium, Liguriæ (cuius Metropolis Genua) terminos.*

In tergo, hoc est posteriori parte huius molis, supra magnum zophorum, erant tres Abaci, prioribus illis cùm amplitudine tum picturæ artificio similes. In eorum medio (qui erat longè amplior) mulier, armatæ PALLADI *non absimilis (*VICTORIAM *fuisse non ambigimus) stans inter horrendos armorum aceruos, nudis brachijs, ambabus protensis manibus, iisq; plenis fluenti sanguine, quosdam viros partim terribili strage occisos, partim semineces, partim turchico habitu captiuos, pedibus ceu grauiter indignata conculcabat, hoc addito Epigrammate:*

IMPERII CVSTOS OCVLOS SIC LÆTA NITENTES,
SICQ; CRVENTA MANVS, IAM CAPTOS VIRGO RECENSET,
ET IVVENEM ACCIPIMVS SPOLIIS ORIENTIS ONVSTVM.

In altero Abaco, Iuuenem quempiam Nostro PRINCIPI *& facie & gestu non ita dissimilem, antiqui ritus armatura illustrem, diuersæ idque venustissimæ vndique accedentes Nymphæ, triumphali oblata lauro, victricibus oblatis palmis, oblatis variis ex lauro, ex quercu, ex populo, ex hedera, ex gramine, ex oliua Coronis, multa exultatione, multo plausu accipiebant, Adscripto huiusmodi Hemistichio:* TANTARVM PRÆMIA LAVDVM.

In tertio Abaco, promiscua hominum turba, præsente Iuuene illo, gratiasque (vt videbatur) agente, ad incensam adstantes aram, duos adductos boues, vnumque immolabant arietem, hac adnotata sententia:

OMNE BONVM A PATRE LVMINVM.

His tribus Abacis, directè supra illum medium, erat suppositus & quartus, in quo pictor fecerat hominem Equiti similem, (Bellorophontem sumus interpretati) insidentem nigro alato equo, prælongis cornibus, & ferreis vngulis terribili, per aëra volantem, sinistra ingentem cristallinum clypeum, dextra hastam, fortiter inter nubes vibrantem, Apposito huiusmodi Hemistichio:

FAMA SVPER ÆTHERA NOTVS.

Supra Coronicem Statuarij has posuère statuas, nempe in altero quidem eiusdem Coronicis angulo, immane nudi cuiusdam hominis senis, multum barbati, simulachrum, cum aureo leonis exuuio, aureo multis nodis innitens scipione. In altera verò eiusdem granditatis argenteam cuiuspiam iuuenis herois statuam, aureis armis, aurea in vertice lauro, aurea in manu palma illustrem.

In molis summitate, formosam sculptili opere fecerant Adolescentulam, punicea veste decorè indutam, sedentem in aëre super mundi globo: Hæc radianti ad frontem coruscans Sole, dexteræ manus indice ad cœlum protenso, læua aureum

reum

reum tenebat ſceptrum, hoc literis ſemipedalibus ſubſcripto verſu:

VIRTVS HONOREM, HONOR MAIESTATEM.

Et hæc quidem omnia extrinſecus, tam à fronte quàm à tergo ſpectari poterant, Nunc verò quæ intus, diſpiciamus.

INtus in anteriori porticu, ſuper octonis eiuſdem porticus Columnis, quaternisq; pilis (de quibus antè mentio facta) vaſtum erat ſolarium, in quo inter tranſuerſas columnarū trabes, huiuſmodi conſpiciebantur giganteæ proceritatis figuræ. Primùm, Nudi, aſpectu & immanium corporum vaſtitate horribiles Gigantes, prægrandibus montium cumulatim congeſtis ſaxis, altiſsimisque ex integris quercuum truncis erectis ſcalis, cœlum conſcendere, IOVEMque cum cæteris Dijs præcipitem deijcere ſummis viribus, minaci vultu, ſtridenti ore, contortis cilijs, ardentibus oculis, videbantur conari, his adſcriptis verbis: IN VETITVM.

Deinde, Iuppiter in nubibus, grandi vectus aquila (cæteris Dijs metu turbatis, & intra nubes auxiè ſpeculantibus) graui ira percitus, ſumpto fulmine, horrendum tonans, librato brachio, præcipites deorſum actos, in terram proſtrauit: ibi fulmine icti, ignem oculis, ignem ore, ignem naribus vomere, ignium flammis per ſingula membra flagrare cœperunt. Dij boni, quantam vidiſſes ædere ſtragem iratam Iouis aquilam, dum modò hos, modò illos vnguibus per cutem profundius inflictis arreptos, ſic ardentes & fumo nigros, non ſine ſanguine, crudeliſsimè laniaret, concerperet, ſecaret. Cui quidem picturæ adnotatam vidimus, hanc Theſei apud Vergilium admonitionem:

NE TEMNITE DIVOS.

Hinc nudus aliquis, immanis Gigas, multarum manuum, multorumque pedum numero terribilis, (arduo idque ardente impoſito ſibi monte) in terram proiectus vndique erumpentibus ei flammis,

Ore acreis flammas, flammas ructabat ab imis
Viſceribus, flammas oculis, flammasque per aureis
Fundebat ſtridens, ſæuæ miſer omnia flammæ.

Hunc coniectura erat fuiſſe monſtroſum illum gigantem Enceladum, ob impietatem cum cæteris gigantibus ab Ioue fulmine proſtratum, ardenti impoſita ſibi Ætna Siciliæ monte. Hæc autem adſcripta legebatur ſententia:

MAGNA POENA, MAGNA LAVS.

Deinde ex aduerſo huius hiſtoriæ, pinxerant pictores viros aliquot talari veſtitu (vt videbatur) literatos, excitato circum eos igne, ad palum ligatos, vnà cum aliquot libris in ignem coniectis, exuri, adſtante eis venuſta quapiam muliere, vtraque manu offerente eis, neſcio quos libros, cum hac adſcriptione:

INTERIM VIVITE LÆTI.

Denique, Multi viri Senes, corporibus nudis, prolixis barbis, aſpectu crudo perhorridi, circumfuſi iuuenem quandam mulierem, ſeminudam, ſpecie venu-

 ſtam,

ſtam, videbantur eam, alij capillis, alij veſte, alij brachiis, alij ſinu arreptam, huc illuc violenter trahere, iuxta quod quidem ſpectaculum ſic ſcriptum erat:

NESCITIS QVID PETATIS.

Poſtremùm, E regione huius picturæ homo (vt videbatur) Princeps aliquis, capite galeato, antiqua armatura decorus, aſpectu DIVO CAROLO .V. *haud ita abſimilis, duabus multùm venuſtis comitatus à tergo mulieribus, altera nudum enſem; altera ſtateram bilancem manu tenentib. Virginem quampiam ante ſe ſtantem, manibus ligatam, ſolutis vinculis, liberam eſſe iubebat, his adpoſitis verbis:* LÆTARE AMICA MEA.

Hæc erant in ſolario anteriori: Quæ autem ſequuntur, pari numero viſenda erant in ſolario poſteriori.

P*Rimùm, Duæ pictæ erant in fabrili officina Vulcani incudes: In altera quidem* VVLCANVS *cum ſuis famulis Cyclopibus: in altera verò* VENVS, *cum paruulo alato ſuo* CVPIDINE, *omnes corporib. nudis, varia è candenti ferro arma cudebant. Iucundum erat ſpectatu videre immaneis illos viros, immanib. brachiis, immanes in altum tollere malleos: Contrà, mulierem Venerem molliori ictu, tenerumq́ue Cupidinem perexiguo pueriliter ſublato malleolo, ſuper ingenti incude ingens quatere ferrum. Hîc legimus huiuſmodi verſiculum, cum hemiſtichio:*

ET VENVS ARMA PARAT, PARAT ET PVER IPSE CVPIDO,
ARMA VIRO.

Deinde, In pictura quæ fuit huic è regione, magno molimine fabricabatur IASONIS *Nauis, qua ad rapiendum aureum vellus dicitur vſus: quam nauem Poetæ vocant* ARGO. *At quia locus non erat capax tantæ molis, prouidus pictor magna induſtria fecerat operum præfectos tanta magnitudine, quanta ſub conſpectum naturali ſtatura videri quiuiſſent, ſed nauem cum ædificantium multitudine, ſub longum proſpectum (qui omnia ſub oculos cadentia, multò minora apparere facit) locauerat, minoremq́; fecerat, vt minor apparens, naturali tamen ſua magnitudine non eſſet minor.*

Hæc ex Vergilianis Bucolicis adſcripta erant:

ERIT ALTERA QVÆ VEHAT ARGO
DELECTOS HEROAS.

Tertiò, Armatus antiquo ritu IASON *(adſtantibus armatis ſatellitibus) dextera nudum vibrãs enſem, læua ab arbore dependens rapiebat aureum arietis vellus, inſectante eum à tergo immani ignem grauiter ſpirante dracone.*

His appoſitis verbis: QVOD MEVM EST.

Quartò, Huic è regione Triptolemus ſeminudus, viridi amictu, vectus per nubes, curru à duobus (vt videbatur) ſubnigris Gryphibus tracto, maturas frumenti ſpicas ſinu in pera gerebat, eaſq́ue protenſa manu per äërem ſpargebat, addita hac inſcriptione: NIL VIRTVTE FERTILIVS.

Quin

Quintò, Vir nudus terribili squalore, immanis staturæ, barba in pectus demissa, capillis oblongis, diffusis, herbæi (vt Plautino vtar verbo) coloris, superciliis hirsutis, & rusticitatis specie horridis, in mediis sublimis nubibus, altero pede terreni orbis globum, altero pede sublato orbem transiliens, gestabat humeris ingentem, lapideum, subnigri coloris Terminum: In quo sic scriptum erat.

EGO SEMEL, ET BIS MINVS, QVI QVONDAM IOVI NOLVI CEDERE, NVNC TIBI CEDENS, VLTRA ORBEM ABEO.

Postremò, Huic picturæ ex aduerso, nouem Musæ, Mnemosynes, hoc est Memoriæ filiæ, venustissimis virginibus similes, seminudæ, laureis sertis decoræ, nudo Apolline in medio consessu testudinem sonante, vario Musicorum instrumentorum genere se oblectari, dulciq; certamine inter se contendere videbantur: Erat autem huic picturæ huiusmodi inscriptio:

IMMORTALI RERVM MEMORIÆ.

Hæc in vtroque solario vtriusque porticus depicta erant: Nunc nobis commemoranda sunt, quæ intra vtrumque porticum ad vtraque Arcus latera spectanda fuêre.

IN priori Arcus latere intra priorem porticum, inter altissimas eiusdem porticus pilas, quæ prædictis columnis respondebant, erant duo prægrandia aurata tribunalia: in altero stabat ingens Colossus BICIPITIS IANI, *cum aurea antiqui ritus corona in vertice, longis amictus vestibus, exteriori aërij, interiori punicæi coloris, dextera aureum prætendens sceptrum, sinistra duas argenteas gerens claueis: Cui à laterib. sic adscriptũ:* CLAVDO & APERIO. *Supra eum verò, subter solarium, in grandi Abaco, sic:*

ILLE EGO IANVS, TOTIVS ORBIS IANITOR, QVI TOTIES PATRI TVO MAXIME PHILIPPE, IANVAM AD TOT PRÆCLARA FACINORA PATEFECI, IN HANC TVAM FLORENTISSIMAM VRBEM INTRANTI TIBI, GRATVLABVNDVS OCCVRRO, VERA NOSTRI SÆCVLI SPECIES AVREI.

Sub eodem Colosso, ingens Abacus, in quo pictura vmbratili Saturnus & Ianus, vterque nudi, datis dexteris conueniebant annosis senibus similes. Pater Tiberinus & ipse quoque nudus, grandi vrnæ copiosam aquam fundenti pronus incumbebat, Lupa cum gemellis infantibus, ipsius vbera sugentib., ad Tiberini latus secura iacebat. Nymphæ paruis mixtæ pueris, arboribus fructus, nemine vetante, decutiebant: Adnotato hoc Vergiliano carmine.

IAM REDIT ET VIRGO, REDEVNT SATVRNIA REGNA.

In altero autem tribunali, Stans in aqua, super duobus marinis Equis, ingens nudi NEPTVNNI *Colossus, viridi cinctu per humeros ad crura vsque*

dependente, dextera aureum tenebat regendis equis trilore flagellum, sinistra verò permagnum ex argento (longa aurata hasta) tridentem.

Ab eius lateribus scriptum sic: IMAGINES REDDO.

Supra eum verò, in grandi Abaco, sic:

NEPTVNNVS EGO, TERRÆ QVASSATOR, SÆVI TRIDENTIS DOMINVS, ET PATRIS MAGNI REX OCEANI, SI QVID ANIMO TVO DIGNVM MOLIARE, PRÆSTANTISS. IVVENIS, IAM NVNC MARIA OMNIA TIBI PROSTERNO.

Sub eodem Neptunni Colosso, in prægrandi Abaco, ex pictura vmbratili, diuersi ex marinorum genere nudi ac semiferi Dii, atque Deæ: alij piscium iactu inter se alacriter ludebant: alij Nympham quandam æquoream, grauius (vt apparebat) dormientem, aquis immersæ similem, iucundis gestibus excitantes subleuabant. Legebatur autem super eos in abaci limbo positum hoc distichon:

EMERSERE FERI LVDENTES ÆQVORE VVLTVS,
PRÆSENTEMQ; VIRVM NEREIDES ADMIRANTES.

Intra eandem porticum supra introitum ad curuaturam Arcus,

Duæ depictæ erant Nymphæ, statura humanæ magnitudinis, Arcus curuaturæ incumbentes, cum rosis in gremio, rosasq; manibus spargentes: habebant autem supra se in grandi Abaco, huiusmodi ex Vergil. carminib. scripturam:

INGREDERE, ET VOTIS IAM NVNC ASSVESCE VOCARI,
CHARA DEVM SOBOLES, MAGNVM IOVIS INCREMENTVM.

Intra posteriorem porticum, in posteriori Arcus latere,

Duo erant (vt in priori Arcus latere) prægrandia aurata tribunalia: In altero ingens erecto corpore stabat Colossus, totus nudus, vigilantibus circumquaque per omnia membra plænus oculis, manu tenens oblongum pastorale pedum, cum hac supra se in Abaco inscriptione:

QVIS MIHI NVNC TOT LVMINA NON INVIDEAT?
AVT CVR EGO MVLTO PLVRA NON DESIDEREM?

Hunc fuisse fabulosum illum ARGVM, *nulla dubitatio.*

Sub eodem Colosso,

In satis magno Abaco erat pictura vmbratilis, in qua ARGVS *bubulcus, custos puellæ* IVS, *in vaccam versæ, suauiter fistulam sonante Mercurio, sopitus dormiebat: Bene obesa adstabat vacca, Iuppiter simul & Iuno in nube sedentes, vaccam vagantem, Mercurium fistula canentem, vaccæ custodem dormientem desuper cum voluptate spectabant. Interea autem hæc in margine abaci notata legebantur:*

NON OMNIBVS DORMIO, ET SI OMNIBVS DORMIAM, VNI TAMEN, NVNC OMNIBVS VIGILEM.

In altero Tribunali,

Fece

Fecerant Statuarij Colossæa magnitudine Deum PANA, quem Deum Arcadiæ, Deum pastorum, Naturæ symbolum, superstitiosa vocauit antiquitas, fecerant inquam corpore erecto, cœlum, Musasque & Apollinem in postrema tabula posterioris solarij antè descriptos spectantem, caprinis in capite cornibus, caprinis pedibus, maculosa nebride semicinctum, plenum toto pectore auro fulgentibus stellis, dextera tenentem septiforem fistulam, sinistra longam, rectam, sed nodosam & informatam virgam, quem vidimus ipsi, (vt ait ille) facie velut igne accensa, Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Supra quem hæc legebatur scriptura.

GRATVLANTE NATVRA MORTALIBVS HOC TEMPORE, SEPTEM COELI NOVA CARMINA MODVLANTVR.

Sub eodem

Latus Abacus, in quo pictor vmbratili pictura artificiose depinxerat aliquot SATYROS, alios quidem qui violento conatu arreptam quandam in humeros asportarent Nympham: alios verò alteram rapturi videbantur, sed ea confestim in harundinem mutari cernebatur: iuxta hos homine quodam nudo, super rotundo clypeo decumbente, volante desuper, atque arcum tendente Cupidine: Cui picturæ hoc adscriptum animaduertimus:

ITA OPERE MEO DELECTOR; VT TOTVM HIC LIBENS SPECTEM, ET TOTVM LIBENS VINCAR.

Supra exitum Arcus, ad eiusdem curuaturam:

Ex æneo colore, hinc vna, inde altera seminuda communis staturæ Fama, ambæ æneam inflantes buccinam, Adscripto supra easdem in grandi Abaco, hoc disticho:

HVIVS IN ADVENTVM IAM NVNC MOEOTICA TELLVS,
IAM COLCHIS TREPIDAT, TREPIDANT SEPTEM OSTIA NILI.

Intra Arcus transitum:

In latere dextero, magnificè depicti erant, colossæa proceritate, Dij Deæque marinæ, Senes, Iuuenesque, omnes nudi, cum horribilib. Oceani monstris, super vndarum fluctibus, festa alacritate inter sese ludentes, quibusdam pisciculis, conchis, cancris, echinis, iuncis, alga, alijsque id genus maris delicijs, ex marinæ pompæ consuetudine, mirificè ornati. *In latere sinistro.*

Eadem proceritate, simili festiuitate, simili gaudio, & alacritate videbantur inter se colludere, saltare, tripudiare, choreas ducere, rosas spargere syluestres Satyri, & agrestes inter arborum vmbracula Nymphæ, hæ rosis coronatæ, illi caprinis suis cornibus superbi.

Supra transeuntium caput, in fornice Arcus,

Cœlum cum nubibus: In quo cœlo, inter nubes media aëris regnatrix IVNO, Circum eam maiores ac minores venti, gigantea specie horribiles, vastissimis membris (seruato tamen pudore, quod de cæteris omnibus hîc dictum volumus) per omnia nudi, amplissimis faucibus acceptum efflantes aërem.

Ad has quidem treis elegantißimas figuras, huiusmodi vidimus inscriptiones:

ASPICE QVAM PVLCHRO LÆTENTVR CVNCTA PHILIPPO, TERRASQ; TRACTVSQ; MARIS, COELVMQ; PROFVNDVM.

STEPHANVS AMBROSIVS SCHIAPPALARIVS, Ligur, huius tam ægregij operis magno sanè labore & industria, congeßit ac ordinauit hystorias, easque in picturas & statuas digestas, & insigniter pictas, & affabrè sculptas, inscriptionesque omneis, suo solius ingenio excogitatas, suis locis adaptari fecit: sub quorum vmbris ænigmatica quædam mysteria, quæ ipse propediem priuatim ædito libello interpretaturus fertur, inesse voluit: Homo cùm ingenio, tum eruditione, non modò apud suæ nationis homines, sed & apud quoscunque multum commendabilis.

Fuit autem tam arduum hoc opus, perdiligenti cura eiusdem Stephani, cœptum quidem .xxvj. Augusti, intra .xvij. verò dies prorsus absolutum. Sudarunt in eo conficiendo plura, quàm .CC.lxxx. opificum capita, in quibus plurimi erant insignes Architecti, Pictoresque & Statuarij, insumptis in eo opere IXM. Carolæis.

ARCVS PVBLICVS,

AD VIAM CORIARIAM.

AB hoc GENVATIVM Arcu digreßis, plus minus .XL. passuum spacio, ad initium viæ, quæ Coriaria vocatur, occurrit non illepidus vnius transitus Arcus, qui cum eleganti imposito sibi pegmate, altus erat pedes .LX. latus verò pedes XXX. Cuius figuram hîc adpositam liceat cernere, in quo pegmate hæc spectabantur spectacula.

SCALDIS, percelebris Belgarum fluuius, etiã Cæsari in diuinis illis suis commentarijs olim notus, per Neruiorum agros ad nos vsque pertransiens, atque inde Oceanum inuisens, inde rursum reciproco fluctu, varijs mercibus onustus, ad nos reuertens, decempedalis hominis forma sedebat in aurata, ferè .xx. pedum longitudinis cymba, ornatus caput viridi harundine & fluuiali alga, totus nudus, nisi quòd ab altero humero viridi suspenso vælo, alterum parcius tegebat latus. Adsidebat ei super extremo cymbæ margine, turrita ANTVERPIA, quo habitu, & qua suprà memorauimus, forma. Ideo autem in Cymbæ margine illi adsidentem fecimus, quòd ea vrbs in SCALDIS litore sit sita.


Quandoquidem verò SCALDIS noster commercia habet cum Oceano, præcedebant eius Cymbam gemini marini Tritones, supernè homines, infernè pisces, suo autem more (velut SCALDIS præcones) aduentantem salutaturi PRINCIPEM, horrendo strepitu immaneis intus artificiosè occultatis tubis, sonabant conchas.

Sub hac Cymba, in Arcus supercilio, maiusculis literis sic scriptum erat:

OMNIGENVM BONORVM ADVECTOR SCALDIS.

In

ARCVS PVB. AD VIAM CORIARIAM.



Tota alt. ped lx Latitud. plus mi. pe. xxx.

In æditiori Pegmatis loco, è regione Cymbæ, in altero quidem eius Pegmatis angulo, conspiciebatur Mercurius, consueto habitu, caduceo, ac talaribus, nemini non notus: altera manu satis capax ferens marsupium, stans super varias mercium sarcinas. Hunc superstitiosa vetustas pro tutelari Mercatorum Deo coluit: nos verò, qui huiusmodi Deos præter vnum cœli ac terræ conditorem & conseruatorem, neque nouimus, neque admittimus, eundem hunc Mercurium pro munere diuino, quo optimus ille Deus humano generi ad necessarios huius vitæ vsus mercimonia clementer impertit, accipimus.

In altero autem Pegmatis angulo, stabat mercatricis habitu, super bene compactas, mercatoriisque signis consueto illis ritu notatas sarcinas, NEGOCIATIO, *circum se habens diuersos rationum libros, manu gerens multifidum mercatorium marsupium, obsignatasque epistolas, oblegatorias schedulas, syngrapha, chyrographa, aliasque id genus chartas, scriptoria penna (vt fieri solet) post aureis posita. Inter hos, hoc est inter Mercurium & Negociationem, stabant paulò depresiores, Quinque præcipuæ in hac vrbe negociantium Nationes, Hæ videlicet:*

GERMANICA,
ITALICA,
HISPANICA,
LVSITANICA,
ANGLICA,

Hæ singulæ ex patrio habitu, & nomenclaturis eorundem, circa pedes adscriptis, ab omnibus facilè internoscebantur.

Quid autem hæc omnia sibi vellent, inscriptio in Pegmatis zophoro posita, clarè indicabat, quæ sic habebat:

FORMOSA ANTVERPIA, EIVS MARITVS SCALDIS, NEGOCIATIO, NEGOCIANTIVM NATIONES, MERCIVM PRÆSES MERCVRIVS, SVB TANTO HOC PRINCIPE NIHIL HÆSITANTES, SESE FORE BEATISS. VENIENTEM IN HANC VRBEM, FLAGRANTISSIMO ACCIPIVNT DESIDERIO.

Huic inscriptioni, sententia haud dissona, posita erat, in summitate ferè pegmatis, in Abaco, sic:

VBI BONVS PRINCEPS PRÆSENS, IBI OMNIA FOELICIA, PROSPERA, BEATA.

Quòd in inscriptione, Scaldim vocauerimus Antuerpiæ maritum, nos de hoc connubio, teximus aliquando fabellam.

Sunt ex curiosulis istis quidam, qui subcauillantur SCALDIM *perperam impositum Cymbæ, cùm is fluuius potius suo dorso ferat & naueis & cymbas: his breuibus responderi poßit,* NEPTVNNVM *quoque fabulosum illum ma-*

ris Deum, & vndis & curru vehi, imò Deum ipsum (vt est apud Dauidem) super ventorum pennas equitare: cùm tamen hic omnia vel palmo conclusa fe rat: ille autem, (vt credidit antiquitas) æquora sustineat, imò pro æquore ipso sumatur nonnunquam: Sunt autem phrases quædam, eruditis satis notæ.

TRIVMPHALIS FLORENTINORVM PORTICVS, IN VIA CORIARIA

PAstis igitur hoc spectaculo oculis, vlterius ad .LV. passus procedentes, ecce ad dimidiatam viam, quam superius diximus vocari Coriariam, vidimus ingentem magnificentissimæ porticus molem, à Florentinis expectato PRINCIPI (vt inscriptio indicabat) dicatam.

Habebat autem hæc Porticus duas, alteram ab ingressu, alteram ab egressu facies, ritu Corinthio formatas.

Quælibet facies treis quadratas habebat portas,

Media patebat in latitudinem pedes .xiiij. Exteriores vtræque pedes .vij.

Singularum autem altitudo, ascendebat ad duplicem quadraturam.

Tota moles lata erat pedes plus minus .L.

Alta ped. LX.

Profunda verò, plus minus. C. XXX.

Quælibet facies decorata erat quatuor columnis Corinthiacis, (præter adpositas sibi pilas) pulchrè striatis, quæ à terra vsque ad coronarum simam, surgebant ad altitudinem pedum .xlviij. Fastigium verò earum, ad pedes .vij. qui simul faciebant pedes. LV. Frontispicium supra coronam mediarum huiusmodi columnarum, altum erat pedum .vij.

A portis primæ faciei, ad eas quæ erant alterius faciei, stabant intus iucundo ordine, sex à dextero, sex à læuo latere columnæ, singulæq; cum quadratis suis pilis alteris illis, altitudine, basibus, stylobatis, capitellis, coronicibus, foliis, volutis, striis, architrabibus, &c. per omnia similes.


Harum intercolumnia patebant pedes. XX. Intra quæ singulæ erant exedræ trium graduum. Ad interiores portarum facies, hinc & inde quatuor erant (instar iam dictarum columnarum,) quadratæ pilæ, nullis adiunctis columnis, ita vt iuxta operis exigentiam, viderentur imperfectæ: quod procul dubio, ob vrgentem celeritatem (vt in aliis multis) factum est.

Totum opus, candido obductum colore, præbebat speciem marmoris Parij.


Columnarum omnium volutæ, folia, striæ, spiræ, auro relucebant,

Singulæ pilæ, versicolore marmore illustratæ, singula per medium (in circulo quodam) ostentabant Florentinæ vrbis insignia.

TRIVMPHALIS FLORENTI-norum porticus, in via Coriaria, & intus & foris ſpectandus.



EIVSDEM PORTICVS ICHNOGRAPHIA.



Singulæ columnarum ſtylobatæ, habebant in ſe depictam, aut infantis Ioannis Baptiſtæ, aut candidi agniculi cum vexillulo purpureæ crucis imaginem, aut rubrum Florentini lilij ſymbolum, aut Mediceæ nobilitatis inſignia.

Architrabes cum ſuis coronicibus & cymatiis, tam intrinſecus quàm etiam extrinſecus, ad treis & ſemipedem ſupra zophorum prominentes, ſupra modum magnificum exhibebant prætereuntibus ſpectaculum.

Zophorus tam intra porticum, quàm extra eundem, trium erat pedum altitudinis: pulcherrimè autem ornatus erat coccinei panni velamento, ſuauiter intertextis aureis leonum capitibus, extenſim adiunctis, crepitantis (quod vocant) auri lacinijs: eſt autem aurum crepitans, bractea quædam, ad bracteati auri imitationem, ex percuſſo ære ſic formata, vt huiuſmodi rebus & ſit tractabilitate commodior, & videatur ſuo fulgore auro illuſtrior.

Periucundum erat viſu, ardentem coccum, bracteatíque auri ſplendorem, latè inter candentia fulgere mormora.

Hactenus de generali operis diſpoſitione, nunc agè
ſpeciatim dicamus de illius ornatu.

FORIS.

IN priori facie ſupra mediam portam, in grandi orbe aërij coloris, erat legere aureis literis huiuſmodi inſcriptionem,

DIVO PHILIPPO MAGNO CAROLI .V. MAX. CAES. FILIO, OB HVNC OPTATISSIMVM SVVM IN ANTVERPIAM ADVENTVM, FLORENTINI TRIVMPHALEM HANC MOLEM PIAE OBSERVANTIAE ERGO DICAVERE.

Subter ſupercilium eiuſdem portæ, pendebant magnificè depicta, inſignia deſiderati Principis, nigra bicipiti Aquila extenſis alis deſuper locata.

Ab vtroque angulo eiuſdem portæ, prodibat inſuetæ magnitudinis dimidiata corona, è viridibus bracteati ſtanni folijs bellè concinnata, infra Principis inſignia, ſemicirculi ſpecie, ſupra tranſeuntium capita propendens.

Inter duas columnas ad dexteram, ſuperius tribunal quadrangulum, cœleſti colore ſuperbum, in eo duæ aureæ ſtabant Epiſcoporum ſtatuæ, altera (vt ex nominum inſcriptione apparuit) S. ZENOBII, altera S. ANTONINI: vterque autem fuerant olim Florentinorum Archiepiſcopi, vitæ ſanctimonia & Diuinarum literarum eruditione in primis inſignes:

His hæc maiuſculis literis adſcripta erant:

OB VITAE AC MORVM CLARITATEM
IN DIVORVM NVMERVM ADSVMPTI.

Inter eaſdem columnas inferius, ſupra lateralem portam, erat ſimile quadrangulum tribunal, cum argentea RELIGIONIS ſtatua, cũ hoc ſubſcripto:

HAEC EX HOMINIBVS DIVOS FACIT.

In

Inter columnas ad sinistram, duo similiter erant quadrangula tribunalia: In superiori stabant duo aurea Illustrium Heroum simulachra: alterum fortissimi illius Ioannis Medices, alterum animosi illius Philippi Spanæ scholari, Cum hoc Vergiliano subscripto hemistichio:

DVO FVLMINA BELLI.

In inferiori autem, argenteum simulachrum Deæ Fortitudinis, Cum hac sententia, EGO HEROAS CREO.

In tympano frontispicij, supra architrabem, nimirum in supremo ferè molis loco, collocauère argenteam Cosmi Medicæi, Ducis Floreñ. statuam, equestrem, aureis armis, aureis ephippiis magnificè decoram.

Super ipsa autem architrabe, in vtroque eius angulo, exhibuère à dextera quidem ARNI, *à sinistra verò* MVNII *fluuij argentea simulachra, nuda, argenteis vrnis, argenteas aquas deorsum profundentia.*

Pro frontispicij acroteriis, posuère argenteos leones, alterum vrbis Florentinæ, alterum Ducis Cosmi gerentem insignia, hastatis vexillis imposita.

Supra supremum autem molis apicem, statuerunt aureum S. IOANNIS BAPTISTÆ *simulachrum, cum Martis idolo sub pedibus, idq; hac (vt ipsi quidem aiunt) ratione: Populus enim Florẽtinus, accepto olim Christianismo abiuratoque quem eorum progenitores religiosè coluerant, Marte, eiusq; templo profanato, hunc Diuum tutelaris Genij loco, vulgus Patronum vocat, alacriter accepère, eiq; explosi Martis phanum ritè consecrauère, ac Diui Ioannis Baptistæ titulo illustrius reddidère, vbi adhuc etiamnũ hodie Christiano more perpiè colitur, proque vrbis Genio habetur.*

Altera facies, easdem portas, easdem cum pilis, cæterisque ad eas attinentibus columnas, eandemque habebat inscriptionem.

A Supercilio mediæ portæ einsdem faciei, supra transeuntium vertices, propendebant PRINCIPIS *nostri insignia, cum ornamento, vt in porta anterioris faciei.*

Supra minores, hoc est laterales portas, fecerant quatuor (vt in anteriori facie) quadrangula tribunalia. In sublimiori ad dexteram, ostentauère treis toti orbi percelebres Florentinæ gentis Poëtas, DANTEM, PETRARCHAM, BOCCATIVM, *longis vestibus venerandos, artificiose ad viuentium formas cælatos, bracteato argento vndique obducto spectabiles, quibus hæc ex Vergilio desumpta subscripserant:*

PII VATES, ET PHOEBO DIGNA LOQVVTI.

In inferiori posuerant Deam PITHO, *hoc est Suadelam, argenteum mulieris simulachrum, digitorum gestu suadenti simile, cum hoc elogio:*

QVID HAC EFFICACIVS?

In sublimiori ad sinistram, exhibuère duo insignia Pictorum Florentini sanguinis lumina, alterum Iottum, alterum Michaëlem illum Angelum Bonarotum, sæculi nostri, seu Statuariam, seu Pictoriam spectes, ingentem vtriusq; ar

tis gloriam, ambos argenteo simulachro illustres, hoc addita versu:

HIS CEDAT ZEVSIS, CEDAT TER MAGNVS APELLES.

In inferiori, posuêre argenteam Deæ INDVSTRIÆ *statuam, dato ei in manus aureo circino, aurea regula, aurea amussi, cum hoc subscripto:*

ARTIVM PARENS.

In Tympano, exhibuêre spectandum Ducis Cosmi filium, equestrem, Iuuenem, argenteo simulachro spectatu dignum.

In dextero Architrabis angulo, simulachrum fluuij ELSÆ: *in sinistro, fluuij* SIEVÆ: *vtraque argentea, vtraque nuda, vtraque argenteis vrnis, argenteas deorsum fundentia aquas.*

In frontispicij Acroterijs, duo argentei leones, alter (vt in anteriori facie) vrbis Florentinæ, alter Ducis insignia in hastato vexillo gestantes.

In apice frontispicij, aurea statua vrbis Florentinæ, cum proprijs insignibus, rubro lilio, satis notis.

INTRA PORTICVM.

IN *anteriori facie supra mediam portam, Insignia Diuæ Heleonoræ, Reginæ Franciæ. In posteriori facie, Insignia Diuæ Mariæ, Reginæ Hungariæ. In vtrauis facie, quaterna erant quadrangulari forma tribunalia, aerij coloris, sed vacua, nullis statuis decorata, obstante nimirum parandarum rerum festinatione. Intra porticum, super singulis columnarum capitibus, quæ (vt suprà indicauimus) erant duodenæ, senæ ab vno, & senæ ab altero latere porticus, ordine positæ, stabant singulæ argenteæ statuæ, dorso ad zophorum versæ, capite extremitatem coronicis ferè tangentes, præsentabant hæ statuæ, sub speciosis mulierum formis, duodecim ciuitates, quæ Principatui Florentino parent. Erant autem hæ dextero, illæ læuo ordine dispositæ, sic*

Dextero ordine;	*Læuo ordine.*
PISÆ,	ARETIVM,
VOLATERRÆ,	PRATVM,
CORTONA,	POLITIANVM,
BVRG. S. SEPVLC.	VILLA NOVA,
CASTROCARVM,	PESCIA,
FESVLÆ,	EMPOLI.

Intercolumnia per totam porticum, à calumnarum capitibus, vsque ad imas exedras, vt omnium ornatissimè, sic & multò opulentissimè contegebantur, partim aureis, partim holosericis diuersorum colorum operimentis, partim artificiosissimè elaboratis tapetibus, amœnissimis historiarum picturis mira industria intertextis, prorsus viuas referentibus rerum formas.

Huic faciundo operi, incubuêre vltra .C.xx. tum artifices, tum alij plerique operarij.

Quantum huic tam arduo operi insumptum, facilè possit coniectari.

Hæc exhibebant Florentini, pergamus vlterius.

PEG

MIRIFICVS APPARATVS.
PEGMA PVBLICVM,
SVPER PONTE MARINO.



Vntibus à via Coriaria Septentrionem versus, statim se offert Pons (sic vocatur) Marinus, in quo est forum frumentarium, locus valde spaciosus, & prospectu amœnus: hîc prætereuntibus ad dexteram, spectandum erat & magnitudine, & columnarum, epistyliorumque, & cæterorum ad ea pertinentium raritate speciosissimum Pegma, distans quidem à porticu Florentino circiter .lxxx. passibus, habens nouem arcus seu hemicyclica tribunalia, patens in latitudine pedes plus minus .xciiij.

A terra autem vsque ad coronam, ad .xxx. surgebat pedes, iuxta rationem Architecturæ quam vocant Compositam. Supra coronam verò, sic erat certis pulcherrimis ornamentis (à Pictoribus & Architectis, Compartimenta dicuntur) in sublime extensum, vt totum Pegma, (ratione medij Compartimenti, quod reliquis celsius erat) surgeret in altitudinem .lx. pedum.

Medius Arcus (si mauis) Tribunal, reliquis & latius, &, vt dixi, sublimius, erigebatur vltra coronicem: reliqua vtrinque erant inferiora epistylio, vt omnia clarè est videre in depicta figura sequenti.

Sub quolibet tribunali amplus erat Abacus, literis inscribendis idoneus.

In hoc Pegmate, in singulis tribunalibus, exhibitæ fuere, in gratiam cùm ipsius PRINCIPIS, *tum acceptatissimi sui nominis, quod est* PHILIPPVS, *singulæ illustrium aliquot Philipporum personæ, cum illorum titulis, breuibus elogijs in Abacis illis inscriptis.*

Primus omniũ ipse PRINCEPS, *in habitu Regio, gladio accinctus, auream coronã in capite, aureum sceptrum manu gerens, stabat sublimis in medio, hoc est cæteris celsiori tribunali, inter cæteros Philippos medius, Cum hoc elogio:*

PHILIPPVS PRINCEPS NOSTER DESIDERATISS.
DIVI CAROLI .V. CÆS. AVG. F. INGENS BENE OMINANTIS ORBIS EXPECTATIO.

A latere eius dextero, distinctis ordinibus, adstabant hi:

1 *Diuus Philippus Apostolus, vestitu Apostolico, vt pingi consueuit, capite radiato, auream manu gestans crucem, hoc titulo,*


S. PHILIPPVS, CHRISTI APOSTOLVS, A BETSAIDA GALILÆÆ, PRIMVS A CHRISTO VOCATVS, IN ASIA CRVCI AFFIXVS.

2 *Philippus Rex Castellæ, &c. paternus Principis auus, Regio more, corona, sceptro, gladio, viuentis referens similitudinem. Titulus:*


PHILIPPVS HISPAN. REX, DIVI MAXIMILIANI CÆS. F. DIVI CAROLI .V. IMP. PATER, DELICIÆ ORBIS, PATRIÆ AMOR.

P E G M A
S V P E R P O

Altitudo pedes lx. Latitud. pe. xciiij.



BLICVM
MARINO.



3 *Philippus, Rom. Imp. capite tunso, laureato, tunica & toga indutus Romana.* *Titulus:*

PHILIPPVS IMP. RO. ARABS, PRIMVS INTER CÆSARES CHRISTVM AMPLEXVS, A DECIO IMP. PER DOLVM OCCISVS.

4 *Philippus Macedo, Rex Græcus, Græco habitu, Græco oblongo pileo, Gracula, hoc est subrasa barba, Græco ense, antiqua corona circum pileum.* *Titulus Abaco inscriptus:*

PHILIPPVS MACEDONVM REX, ALEXANDRI MAGNI PATER, VICTORIARVM SVCCESSV FOELICISS.

A sinistro latere adstabant hi:

1 *Diuus Philippus Diaconus, in vestitu Ecclesiasticis Diaconis consueto, capite Diuinæ lucis radiis circumfuso.* *Titulus:*

D. PHILIPPVS DIACONVS, VNVS E SEPTEM CVM STEPHANO IN VIDVARVM MINISTERIVM ELECTVS, CONVERTIT SAMARITANOS, BAPTIZAVIT EVNVCHVM ÆTHIOPEM.

2 *Philippus Dux Burgundionum tertius, antiquo illo vestiendi ritu, illius ætatis simplicitatem præ se ferens, Aurei velleris torque, vt cæteri, ornatus.* *Titulus:*

PHILIPPVS COGNOMENTO BONVS, DVX BVRGVND. DVCIS IOANNIS F. CAROLI STRENVI ILLIVS PATER.

3 *Philippus, Dux Burgund. Secundus, ex antiquis picturis, ad naturalis suæ similitudinis formam exhibitus, antiquo illo vestitu conspicuus.* *Titulus:*

PHILIPPVS DVX BVRGVNDIÆ, DVCIS ANTONII FILIVS.

4 *Philippus Dux Burgundiæ primus, vetusti etiam ritus habitu, venerandæ antiquitatis speciem ostendens.* *Titulus:*

PHILIPPVS DVX BVRG. COGNOMENTO AVDAX, IOANNIS FRANCORVM REGIS F.

In Zophoris, ipsis tribunalibus incumbentib.

SALVE MAGNE O PHILIPPE, INTER TOT PHILIPPOS, VEL REBVS PRAECLARE GESTIS, VEL PIETATE ILLVSTREIS, IPSE ET AVITAE CLARITATIS GLORIA, ET BEATAE INDOLIS PRAESAGIO, ET SVMMA DE TE EXPECTATIONE, LONGE PRAESTANTISSIME.

In Abacis, supra coronam, hæc legebatur sententia:

ILLVSTRIVM NOMINVM SIMILITVDO, PERMAGNVM AD VIRTVTIS ÆMVLATIONEM CALCAR.

Hu-

Huiuſmodi ſpectaculo mirificè delectatus PRINCEPS, *ad mœnia Catharinaria foro frumentario proxima, pergit.*

Hæc mœnia (ſic vocata) ſunt publica vrbis via, quæ à ponte Marino, hoc eſt à foro frumentario, ducit ad pontem quem dicunt Catharinarium. Ideo autem dicuntur mœnia, quòd vbi nunc ad ſiniſtram videntur domus ædificatæ, fuerunt patrum memoria extrema Ciuitatis mœnia, quorum foſſæ adhucdum viſuntur integræ. Nuncupantur autem Catharinaria, à porta paucis ab hinc annis (vt ipſi vidimus) diruta, quæ à ſtatua Diuæ *Catharinæ ibidem in honore habita, dicebatur Catharinaria: cui portæ ſupra foſſam applicatus erat lapideus pons, qui etiamnum hodie extat, vulgo dictus pons Catharinarius.*

ARCVS PVBLICVS

AD PONTEM CATHARINARIVM.



D hunc pontem circiter . C . x l . *paſſus à ponte Marino, in ingreſſu viæ, quæ vocatur Vitea, erat poſitum Pegma, ſupra Arcum vnius tranſitus, cuius figuram vide in ſequenti pagina. Eius tota cum Compartimentis altitudo ſurgebat ad pedes* . l x x . *Latitudo autem patebat in ped.* x l .

In huius Arcus pegmate, magna cum tranſeuntium gratia conſpectæ ſunt infrà iam deſcribendæ perſonæ, eminentiori loco ſtantes, omnes quidem viuæ, viuis vocibus, viuo geſtu, aduenienti PRINCIPI *mirificè gratulantes, omnia illi Reipub. nomine fauſtiſsima, proſperrima, fœliciſſ. comprecantes, præ gaudio ſubſilientes. Erant autem hæ:*

PLAVSVS,
ALACRITAS,
VOLVPTAS,
EXVLTATIO,
LÆTITIA,
PROMPTITVDO,
CONGRATVLATIO,
MVSICA,
HARMONIA.


Quæ ſimul omnes verſicolorib. alis, & (lætantium ritu) florum, herbarumq; coronamentis, candidoque amictu ſpectabiles, quandam quinque vocum cantilenam, in PRINCIPIS *laudem compoſitam, adhibitis lyris, citharis, teſtudinibus, aliiſque id genus ſuauiſſ. inſtrumentis, vernacula noſtra lingua gratiſſimo incredibilis dulcedinis concentu cecinerunt.*

Vidimus ipſum CÆSAREM, *ad lætos huiuſmodi geſtus, gratiſſimamque canentium, ac inſtrumenta pulſantium ſymphoniam, attentum ſubſiſtere, ſuauiterque arridere.*

Ad exultantium pedes, loco depreſſiori, magna mœſtitia affecti, ge-

ARCVS PVB. AD PONTEM
CATHARINARIVM.

Altitudo
p·d.lxx.
Latitudo
pedes .xl.



mentes, ſuſpirantes, ringentesq́ue, iacebant, turpi macilentia exhauſti

DOLOR,
LVCTVS,
TRISTITIA,
DISPLICENTIA,
MELANCHOLIA,
INVIDENTIA, edens ſuum ipſius cor.

Erat autem talis in ſublimi pegmatis Abaco, ex quinq; heroicis, inſcriptio:

SIMVS IO, SIMVS LÆTI, DVLCEMQ; CANAMVS PÆANA, EXVLTEMVS IO, RVRSVMQ; ITERVMQ; EXVLTEMVS, IO PÆAN: PROCVL, O PROCVL OMNIS ET DOLOR, ET LVCTVS: PVLCHERRIMA GAVDIA NOBIS IVCVNDA OPTATI PRÆSENTIA PRINCIPIS ADFERT.

In Zophoro autem Epiſtylij, hæc:

EXPECTATE VENIS NOSTRI SPES ALTERA SÆCLI.

In Arcus autem Supercilio, hæc:

ECQVID VSQVAM BONI PRINCIPIS ADVENTV DESIDERATIVS? QVID COMMVNI PATRIÆ VTILIVS? IVCVNDIVS? SALVBRIVS?

ARCVS PVBLICVS AD PONTEM VITEVM.



OC ſpectaculo iam poſt tergum relicto, en continuò ad .C. paſſus alius ſe offert Arcus vnius tranſitus, ad pontem Viteum, ſic ab eiuſdem cognominis porta appellatum, poſitus. Altus cum impoſito ſibi pegmate ped. lxviij. Latus ped. xl.

Erat autem, cum frontiſpicio, cæteriſq́ue ornamentis, quæ in depicta hac figura, ob oculos ponuntur, ex Architectura Compoſita, factum.

Videbatur aũt idipſum ſpectaculũ manifeſtis auſpicijs, velut certo vaticinio, innuere, futuram ſub hoc noſtro PRINCIPE, innocentiſſ. vitæ fœlicitatem.

Erat enim in medio pegmatis poſitus ingens mundi globus, duodecim ferme pedes ſuo continens diametro, hoc eſt pedes .xxxvj. ſuo circulo ſimpliciter in orbem ducto. Qui globus totus aureus, latè radiantis auri iactabat fulgorem.


Supra aureum eum globum ſedebat puella, admodum formoſa, aurea fulgens veſte, bene rectam ex ſplendenti auro manu geſtans virgulam, cui puellæ adſcriptum erat nomen ÆQVITAS.

Circum hunc globum ambulabant, ſedebant, ſtabant, ludebant, varium genus hominum, viri, mulieres, ſenes, iuuenes, pueri, puellæ, omnes facie, capillis, manibus, pedibus, brachijs, tibijs, ac toto denique corpore, toti aurei, aureum vndiq; de ſe ſpargentes fulgorem, alii nudi, alii ſeminudi, alii aureo radiantes amictu.

Hos circa adſtabat virgo quæpiam, ſine manibus, capillis auratis, aurata

ARCVS PVB. AD PONTEM VITEVM.

Tota alt. p.lxviij. latit.ped. xl.



in veste perquamdecora: Iuxta quam videbatur à latere adesse candidus sine cornibus agniculus, huic virgini addebatur nomen INNOCENTIA.

In Abaco supra Epistylium hoc legebatur tetrastichon:

CERTVM EST AVGVRIVM, MAGNO HOC SVB PRINCIPE CVNCTA
AVREA ERVNT, TOTI FACIES ERIT AVREA MVNDO,
AVREA NASCETVR PASSIM GENS, AVREA SVRGENT
SÆCVLA, SPONTE SVA TVM FERREA DESINET ÆTAS.

Item:

DVCE HOC ET AVREA ÆQVITAS,
ET AVREA, OMNIBVS LOCIS
REGNABIT INNOCENTIA.

In Arcus supercilio:

TALIA SATVRNO QVONDAM SVB REGE FVERE
SÆCVLA.

Hinc transitum est ad pontem Minoritarum, qui vulgo dicitur, pons Fraterculorum. Ideo sic dictus, quòd à ponte viteo ad pontem vaccarium medius, è regione monasterij Minoritarum sit situs.

ARCVS PVBLICVS,
AD PONTEM MINORITARVM.

APud hunc pontem ad .C.xvij. fermè pass. à ponte Viteo, ex aduerso dicti monasterij, erectus stabat Arcus, qualem hîc cum suis Columnis, Epistylijs, Zophoris, Coronicib. & Compartimentis, depictum vides, altitudinis. p. lxx. latit. xliij.

In quo Pegmate, quemadmodum & in præcedenti, species futuræ sub hoc Principe quietis exhibita est, Siquidem personæ, hîc velut per præsagium ostensæ, summam rerum tranquillitatem cùm gestuum alacritate, tum nominum significatione, præ se ferebant. Erant nimirum hæ, editiori loco stantes:

PAX, *virgo alata, vestitu candido, ex oliua sertum capite, oliuæ ramum manu gerens.*

LIBERTAS, *pileum habens in capite, (nam à seruitute manumissis, olim in libertatis signum dabatur pileus,) confractas gestans manu cathenas, iugum altero pede calcans.*

CONCORDIA, *gemellas sinu fouens turtures, altera manu triplicem tenens funiculum, ex illo Solomonis dicto, vbi inter plureis concordiam describens, Funiculus (inquit) triplex difficile rumpitur.*


POLITEIA, *rectam protendens manu virgam.*

CERES, *frugum spicis coronata, cum falce messoria in manu, fasciculum spicarum inter brachia gerens.*

COPIA, *cum magno cornu omnigenis fructibus plæno, inter brachia.*

ARCVS PVB. AD PONTEM MINORITARVM.

Altitudo ped.lxx.
Latitudo ped.xliij.



QVÆSTVS, Adolescens, variis circum se mechanicis instrumentis, quæstui necessariis. Hæ sub hoc PRINCIPE *velut fœliciter triumphaturæ, vehementer visæ sunt exultare.*

Sub harum pedibus loco depreßiore iacebant:

MARS, ruffa sua barba, galea, thorace, ense, hasta, satis notus.

FVRIA, fœda mulier, angueis habens in capite pro crinibus, ardentem manu vibrans titionem.

RABIES, informis mulier, insanæ similis, sibiipsi pugnans.

TYRANNIS, mulier veste sanguine tincta, cruentis manib. cruento gladio.

DISCORDIA, horrendo vultu mulier, scissa (inquit Vergil.) gaudens palla.

ANNONA, macilentæ, famelicæ mulieri similis.

INOPIA, forma mulieris mendicæ, & turpiter pannosæ.

Hæ omnes cum Principe suo Marte, ab superioribus illis triumphatæ, cathenis vinctæ tenebantur, cunctisque destitutæ viribus, exanimes videbantur.

In huius pegmatis summitate, Abacus erat altitudinis ped. IIII. & semis, Latitudinis verò. x. In eo hi legebantur Heroici:

DVLCIS LIBERTAS, CONCORDIA, PAXQ; CERESQ;, SANCTA POLITEIA, ET CVM QVÆSTV PLÆNA BONORVM COPIA, SVB TANTO FLOREBVNT PRINCIPE: PORRO MARS, FVRIÆ, RABIES, DISCORDIA, TRVXQ; TYRANNIS, SVB PEDIBVS, (IACTIS VINCLIS IN COLLA) IACEBVNT, TALIA FATIDICÆ PROMITTVNT SÆCVLA PARCÆ.

PEGMA PVBLICVM,

SVPER PONTE VACCARIO.

POST hunc pontem, ad. C. passus, sequitur pons Vaccarius, Eum ita vocant, quòd ibidem nostra quidem memoria steterit porta olim ciuitatis in ea vrbis parte extrema, dicta vaccaria, à deducendis illinc in proxima prata vaccis: Super hoc ponte (quandoquidem fori similitudine satis latus sit) positum fuit ad prætereuntium dexteram, nobile Pegma, cuius figuram in sequenti pagina tibi propositam vides, in tria arcuata tribunalia, quorum medium reliquis grandius erat, protensum: habens in totius structuræ latitudine pedes lxx. In altitudine verò pulcherrimis adpositis Compartimentis prominebat in pedes. LX.


In Epistylijs, iuxta numerum tribunalium, terni erant Zophori, altitudinis .ij. pedum.

Sub quolibet extremorum tribunalium, terni erant Abaci, singuli altitudinis quatuor, & latitudinis triùm pedum. Sub medio verò tribunali, Abaci quaterni, eiusdem cum altitudinis tum latitudinis.

PEGMA


SVPER PON

Altitudo pedes lx. Latitud. ped. lxx.



BLICVM

VACCARIO.



In hoc pegmate, in PRINCIPIS *gratiam, præsentatæ stabant muliebri forma, in habitu splendidißimo, amœnißimæ paternæ suæ hæreditatis cis alpes prouinciæ, adiunctis cuique propriis insignibus:*

Erant autem hæ, inter multas alias vel præcipuæ:

AVSTRIA,
BVRGVNDIA,
BRABANTIA,
GELRIA,
FLANDRIA,
ARTESIA,
HANNONIA,
HOLLANDIA,
ZELANDIA,
FRISIA,

In medio tribunali medio ordine stabant quaternæ, Ducatus titulo insignes, nempe AVSTRIA, BVRGVNDIA, BRABANTIA, *&* GELRIA.

In dextro tribunali, primo ordine, ternæ, nimirum, FLANDRIA, ARTESIA, HANNONIA,

In sinistro tribunali, tertio ordine, similiter ternæ, videlicet, HOLLANDIA, ZELANDIA, FRISIA,

Singularum tituli, in singulis sub se Abacis, grandiorib. literis graphicè descripti erant. In Epistyliorum Zophoris, hanc legere erat scripturam,

HAS PATERNÆ TVÆ HÆREDITATIS PROVINCIAS FOELICISS. PRINCEPS, IVGI PROSPERITATE BEATAS, AD TVAM GLORIAM, PATRIÆQ; SALVTEM, FAVENTIS NVMINIS BONITAS BENIGNE TVEATVR, FOVEAT, CONSERVET.

In stylobatarum supercilijs

O FORTVNATOS POPVLOS, QVEIS NVMINE DEXTRO
HIC TANTVS PRINCEPS TANTIS DITIONIBVS HÆRES
SVCCEDIT, FESTO HINC EXVLTANT CVNCTA TRIVMPHO,

ARCVS PVBLICVS
IN VIA VACCARIA.




Onti vaccario, continuò ab Septentrione meridiem versus succedit via, quam ab eodem vel ponte vel veteri porta, vocant vaccariam, rectà deducens ad pontem lacteum, ita nuncupatum à foro ei contiguo, quod à vendendo ibidem lacte, dicitur forum lacteum.

Circa dimidiatam hanc viam .C. viij. ferè pass. ab ipso ponte, erectus fuit Arcus, non ineleganti ei imposito pegmate, quorum hîc similitudinem, cum suis Columnis, Stylobatis, Basibus, Epistylijs, Zophoris, Coronis, & Compartimentis ἀληθικῶς *delineatam adponendam curauimus, habuit in altitud. ped. lxx. in latitud. verò ped. xxxvij.*

Hîc, velut ex publicis omnium votis, concepto de Imperij successione præsagio

ARCVS PVB. IN VIA VACCARIA.



Tota altit. p. lxx. latit. ped. xxxvij.

gio, factum est, vt (inspirante bono aliquo genio) exhibitus fuerit PRINCEPS *noster, stans medius inter duos illustreis, puerili ætate, Principes, Iulium Ascanium Æneæ filium, & Seruium Tullium P. Corniculano genitum.*

His singulatim singulæ visæ sunt in capite ardentes flammæ, superstitiosa veterum credulitate, significantes regnorum dominia. PRINCIPI *verò biceps aquila, laureum vnguibus ferens ramum, eius capiti paßis alis imminere, suauiterque adblandiri conspecta est: quo portento (modò his credi fas sit) quid aliud augurari poterit, quàm futuram imperij potestatem.*

Ad pedes autem ipsius PRINCIPIS, *humili gestu adsidebant, Asia, Africa, Europa, velut imperio iam adepto, illi parêre, ipsiusque iugum vltro subire paratæ. Erant autem muliebri forma, quæque patrio habitu, & vultuum colore satis facilè cognoscendæ. Siquidem Asia colore subfusco, cultu Asiatico: Africa aspectu ferè Æthiopico, amictu Ægyptiaco: Europa facie candida, vestitu Europæis communi, discernebantur.*

Supra huius pegmatis Coronicem, Abacus erat altitudinis quatuor, latitudinis nouem pedum. In eo hæc erant scripta

ASCANIVS FLAMMA, FLAMMA QVOQVE SERVIVS OMEN
ACCEPIT REGNI, SACRO SED VERTICE NOSTRI
PRINCIPIS IMPENDENS AQVILA, IMPERIVMQ; DECVSQ;
PORTENDIT SVMMVM: CERTA HÆC ORACVLA. SALVE
MAGNE ORBIS DVCTOR, REX O CÆSARQVE FVTVRE,
TV LYBIAM IMPERIO, EVROPAMQ;, ASIAMQ; TENEBIS.

In Epistylij autem Zophoro, hæc:

TV SVPER ÆTHIOPAS, SVPER ET GARAMANTAS ET INDOS,
PROTENDES SCEPTRVM, TIBI SERVIET VLTIMA THVLE.

Ne vos moueat optimi spectatores, quòd Asia, Africa, & Europa, vinculis solutæ, hîc exhibitæ fuerint, cùm earum prouinciæ & vrbes in proximo spectaculo cathenis vinctæ sint spectandæ: hîc enim per anticipationem describuntur, non vt nunc, sed vt tum in libertatis statu futuræ sunt: illic verò adhuc captiuæ Barbarorum tyrannide liberari orant.

Sed iam ad reliqua.

I*Nter iam visum in via vaccaria spectaculum, & de quo iamdudum diximus, pontem lacteum, non ita longè ab eodem ponte, Germani aquilonares, qui vocantur Societatis maritimæ, nobis (nostri hemispherij ratione) Orientales, habent vastas ex lapide viuo ædeis, sed iam ferè ob vetustatem ruinam minantes, publicum eorundem Nationis diuersorum. Hæ ædes habent Insigne æthiopem, vnde & vulgata eis nomenclatura. Has ædes pro fronte, quæ est latißima, à primis tabulatis vsque ad tectorum fastigia, ad* PRINCIPIS *aduentum, magnificè adornarunt innumeris, clarè ardentibus bene ceratis facibus, quandoquidem illi Nationi magna est ceræ abundantia. Posuêre autem ante has ædes ab vtroque viæ*

latere, ab lacteo ponte, usque ad proximum quadriuium, quod est in longitudine plus minus. xxxv. passuum spacium, crebras quadratæ formæ Columnas, x pedum interuallo distantes, cum superimpositis zophoris, capitellis, epistylijs, basibus, & stylobatis, colore candido, purpureo & aëreo lepidè depictas.

Super columnarum capitibus seu epistyliis, in frondeis circulis, alternatim posita erant cùm CÆS. *tum* PRINCIPIS *insignia.*

Inter columnas sub zophoris in frondeis itidem coronamentis inde dependentibus, depicta visebantur Insignia Nationis, nempe Aquila biceps, partim aurea, partim nigra, cum fulgente stella in pectore.

Supra singula Cæsaris, Principisque insignia, ac itidem in mediis columnarum zophoris, supra singula Nationis Insignia, in singulis candelabris ad hoc aptè concinnatis, singuli ardebant magni ponderis ex candida cæra cærei.

Et hæc quidem omnia Nationis nomine, Vinoldus Falco, eius Nationis in hoc præclaro Emporio Senior, & Iacobus Coruinus, eidem Nationi à secretis, diligenter curabant. Iam sequuntur quæ erant visenda in ponte Lacteo.

PVBLICVM PEGMA, AD PONTEM LACTEVM.



RAT in eo ponte ad præteruntium sinistram, elegantis Pegmatis positum spectaculum, opere Dorico nõ indecorum, superbissimis varij coloris columnis fultum, distans à præcedenti spectaculo. C. viij. pass. Altitud. ped. lx. latitud. plus minus. xl. Hîc conspecti sunt CAROLVS. V. CÆS. *& filius* PHILIPPVS, *stantes in armis: ad quorum pedes se videbantur suppliciter prosternere mulieres quædam captiuæ, ferreis cathenis vinctæ, orantes se illorum potentia è captiuitate asseri: agnoscebantur autem ex nominum inscriptionibus, erantque hæ:*


BITHINIA,
PAMPHILIA,
GRÆCIA,
ASSYRIA,
PALESTINA,
ÆGYPTVS,
PHOENICIA,
ARABIA,
NVMIDIA, *colore fusco.*
ÆTHIOPIA, *vultu nigro.*
HIEROZOLIMA, *rubris suis illis crucibus signata*
CONSTANTINOPOLIS,
DAMASCVS,

Et aliæ nonnullæ, sub grauissimo Turcicæ seruitutis iugo detentæ.

Hîc etiam sunt visi (vt ex habitu quidem coniiciebatur) Turcæ, Mauri, Ara-

PEGMA PVBLICVM, AD PONTEM LACTEVM.

Tota alti. plus minus ped. lx. Lati. plus mi. pe. xl.



bes, Saraceni, Agareni, Mammolucchi, Qui confestim vt vel vixdum videre viros, fulgentiaque eminus arma, ingenti videbantur trepidare metu, atque obuertere terga, iuxta illud Regij vatis dictum:

FVGIT IMPIVS NEMINE PERSEQVENTE.

Super Columnarum Epistylijs & Coronicibus, inter luculentissima Compartimentorum ornamenta, erat Abacus altitudinis quinum, latitudinis duodenum pedum. Cui hæc inerat scriptura:

REGNA, PROVINCIÆ, VRBES, NATIONES, TVRCICA TYRANNIDE OPPRESSÆ, SE TAM FOEDA SERVITVTE LIBERARI, CERTA SPE AVIDE EXPECTANTES: VOS O INVICTISSIME CÆSAR, O POTENTISSIME PRINCEPS PHILIPPE, PROTENSIS PALMIS SVPPLICITER ORANT, VT QVOD DVDVM PARTIM LYBICA, PARTIM PANNONICA EXPEDITIONE FOELICITER COEPTVM EST, ID TANDEM VESTRA AMBORVM OPE, PROCVL FVGATIS FVSISQVE HOSTIBVS, GLORIOSE PERFICIATVR. ECQVIS HOC INTER TOT ORBIS PRINCIPES PRÆSTABIT FOELICIVS, QVAM VOS O BARBARORVM INGENS TERROR AC PAVOR? IMPLETE, IMPLETE, QVÆ DE VOBIS VVLGATA ORACVLA.

In inferiori Zophoro:

PATERNAE VIRTVTIS EXEMPLVM,
INGENS FILIO STIMVLVS.

Et hæc quidem προγνωστικῶς exhibita sunt.

PRIVATVS ANGLORVM ARCVS, AD FORI INGRESSVM.



OC satis contemplati spectaculum, progredimur inde forum versus, ad .LX. pass. & ecce mox in fori ingressu, conspicimus ingentem, sublimem, permagnificum Arcum, triplici transitu peruium, opere Corinthio, Columnis varij coloris, aureis Capitibus, aureisque Basibus, cæteraque structura imitatione lapidis Parij, statuis, picturis, alijsque ornamentis, valde insignem.

Habebat hic Arcus duas facies, habebat autem quælibet facies duplicem columnationem, seu (si malis) columnarum ordinem.

A terra vsque ad Simam primæ columnationis, numerabantur ped. xxxj. Deinde ad Simam secundæ columnationis pedes. xxvj. Porrò harum eleuatio surgebat ad pedes. ix. & sic totius eius altitudo faciebat pedes. lxvj. Cum statuis verò eleuationi impositis ped. lxxiij.

PRIVATVS ANGLORVM ARCVS,


Tota alt.pe. lxxiij. Lati. ped.lviij. profun.xxx


DIVO CAROLO
MAX. IMP. CÆS.
AVG. AC MAG-
NO PHILIPPO
ILLIVS F. HIS-
PANIARVM.&c.




EIVSDEM ARCVS


ICHNOGRAPHIA,











Totius Arcus latitudo (præter protensiones quasdam laterales) continebat pedes. L. cum lateralibus autem protensionib. LVIII.

Transitus medius in latitud. patebat pedes. xiij. reliqui duo, plus min. vj.

In profunditatem autem protendebantur singuli, ad pedes. xxx.

Hunc tam insignem Arcum (vt infra suo loco in ipsius inscriptione videre erit) gratulaturi aduenienti in hanc vrbem Optimo PRINCIPI, *magno animo, magno fauore, maximis impensis fieri curauêre Negociatores Britanni.*

In priori huius Arcus facie, super eleuatione secundæ columnationis, longo videbantur prospectu sublimes in aëre, quatuor ingentes, nimirum duodenum pedum singulæ, sculptiles statuæ: nempe Oceani Britannici: Ipsius Britanniæ: & duorum Tritonum.

OCEANI *erat statua nuda, cana ac promissa barba habens pro capitis ornamento conchulas & marinas algas: ingentem, longum, aureum manu tenens tridentem, sedens in vastißimæ magnitudinis tota aurea concha.*

BRITANNIA, *mulieris effigie, in vestitu albo, vnà cum Oceano, illi adsidens, vehi videbatur in eadem aurea illa concha.*

TRITONES, *supernè nudi quidem homines, infernè verò pisces, velut tubicines Oceanum præcedentes, grandes tubarum loco videbantur inflare conchas. Britannia ideo cernebatur albo induta vestitu, quòd ea insula olim dicta sit* ALBION, *ab albore candidorum lapidum, quibus paßim vt olim, ita & nunc quoque abundat.*

Ab lateribus huius eleuationis in angulis Simæ Epistylij, stabant duo sculptiles, aurei Leones: alter magno hastato vexillo gestabat Insignia Britannorum Regis, alter Insignia Britannicæ Nationis.

Inter extremas superioris ordinis columnas, erat cernere hemicyclica tribunalia, in quorum altero stabat aurea Constantini Magni Imp. statua, eo habitu quo Ro. Imp. statuæ poni sunt solitæ: in altero verò Diuæ Helenæ, illius matris, statua, magnam ex deaurata materia inter brachia gestans Crucem: Fuerat enim tantus Imperator ex patre Chloro & matre Helena, vtrisque Britannis, natus in Britannia. Cui hæc addita legebatur inscriptio:

CONSTANTINVS MAGNVS IMP.
PRIMVM BRITANNIÆ DECVS.

Helenæ autem hæc:

DIVA HELENA, CONSTANTINI MAGNI IMP. MATER, S. CRVCIS INVENTRIX, ALTERVM BRITANNIÆ DECVS.

Sub statua Constantini, in inferiori columnarum ordine, erat admodum eleganter depicta, colore æneo, vmbratili, magna quædam muliebris speciei imago, hoc ei adscripto titulo: CONSTANTIA.

Sub Helena quoq; in eodem columnarum ordine, erat simili elegantia, simili q; colore depicta, alia muliebris formæ figura, cum hoc titulo: PIETAS.

In superiori Columnatione inter Constantini, matrisque Helenæ statuas,

Aba-

Abacus erat altitudinis .xvj. latit. xv. pedum plus minus. In eo semipedali literarum charactere valde lepidè depicta legebatur huiusmodi inscriptio:

DIVO CAROLO MAX. IMP. CAES. AVG. AC MAGNO PHILIPPO ILLIVS F. HISPANIARVM PRINCIPI, OB DESIDERATISSIMVM EORVM ADVENTVM, ET QVAE HACTENVS CONSTITIT PERPETVAM INTER EOSDEM ET BRITANNIAE REGES FOEDERIS CONSTANTIAM, MERCATORES BRITANNI, CLARO HOC EMPORIO NEGOTIANTES, IVSTAE GRATVLATIONIS TESTIMONIO, HVIVS ARCVS MOLEM EREXERE.

Intra maiorem, hoc est medium, Arcus transitum, è dextero latere, duas magno quidem artificio depictas contemplabamur historias: alteram quidem Constantini Magni, vbi viso per somnum S. Crucis signo, insigni olim victoria triumphauit de tyranno Maxentio, Christiani nominis hoste infensissimo. Alteram verò Principis nostri, ex bene augurantium votis natam, vbi ipse cum Turcis, Mauris, cæterisq; id genus nostræ Religionis aduersariis, cruenta bella gerens, parta iamiam victoria superior videbatur, hac adscripta sententia:

QVO SIGNO MAGNVS VICIT CONSTANTINVS, EODEM ET MAGNVM DE BARBARIS ALIQVANDO TRIVMPHATVRVM PHILIPPVM, AIT CLOTHO.

In altero latere, alteras duas similis artificij contemplati sumus picturas, Altera quidem continebat fœdus inter CAROLVM. V. CÆS. *&* HENRICVM. *viij. Britanniæ Regem. Hîc non sine voluptate vidisses, tantos Principes (adstante vtrinque magna exultantium Procerum multitudine) alacriter conuenire: dexterasque, fidei pignora, mutuò porrigere, suprauolante Dea* PACE, *serto ex Oleæ foliis caput redimita, Oleæ ramum manu protendente.*

Cui fœderi hæc adscripta legebatur sententia:

MAGNO VTRINQVE BONO.

Altera verò pari artificio exhibebat amicam, inter suprà memoratorum Principum filios, concordiam, hoc est inter Principem nostrum PHILIPPVM, *&* EDVARDVM .V. HENRICI .VIII. *successorem, velut fœderis illius perpetuam continuationem.*

In hac pictura prædulce spectatu fuit, quàm suauiter, quàm amicè, duo Iuuenes Principes (quæ pictoris industria) se mutuò complectebantur, circumstantibus & cum alacritate admirantibus cunctis: quos sic & habitu & vultus similitudine imitatus fuerat pictor, vt te illos ferè viuos coram vidisse putasses. Supra eos autem exultans volitabat Dea CONCORDIA, *geminum cor funiculo colligatum manu tenens. Erat verò huiusmodi adiuncta sententia:*

SVMMA POSTERIS FOELICITATE.

Altera Arcus facies.

IN huius faciei, quæ forum ad Occidentem respicit, summitate, hoc est in eleuatione superioris columnationis, prona in cubitum iacebat ingens sculptilis statua, hominis nudi, aurea vrna aquas desuper (vt videbatur quidem) profusuræ similis, ipsa magnitudinis (vt conijcere potuimus) xij. plus minus pedum: Ex eius inscriptione intelligebatur fuisse TAMESIS *fluuius non ignobilis: Erat autem inscriptio huiusmodi:*

TAMESIS PRÆCIPVVS ANGLIÆ FLVVIVS.

Inter extremas superioris ordinis columnas (quemadmodum & in anteriori facie) duo erant tribunalia: In altero, Regis cuiusdam (vt apparebat) Angli, stabat ingens aurea statua, regio amictu, cum corona in capite, & aureo sceptro in manu: Cuius hæc erat inscriptio:

S. LVCIVS, PRIMVS INTER BRITANNIÆ REGES CHRISTVM PROFESSVS.

In altero, eiusdem granditatis aurea cernebatur statua, viri cuiuspiam (vti ex longo simplicíq; habitu coniectari potuit) religiosi. Quis autem fuerit, huiusmodi indicauit inscriptio:

S. FVGATVS, QVI VNA CVM S. DAMIANO REGEM LVCIVM, TOTVMQVE BRITANNIÆ REGNVM, OMNIVM PRIMVS CHRISTO LVCRIFECIT.

Sub hac statua, in inferiori columnatione, fecerat pictor prægrandem muliebri forma imaginem, ex colore æneo, magno artificio valde commendabilem, hoc adposito nomine, RELIGIO. *Fecerat & alteram in eadem columnatione, sub statua Regis Lucij, huic per omnia & magnitudine, & colore, & artificio similem: Inscripto ei nomine,* FIDES.

Abacus huius faciei, altitudine, latitudine, & inscriptione idem erat cum Abaco anterioris faciei.

Hic arcus à .CC. XLI. statuariis, pictoribusque, & fabris lignariis constructus, constitit. IIIIM. CC. Carolæis.

MAGNI GIGANTIS ANTIGONI DESCRIPTIO.



VNC Arcum transeuntibus, continuò apparebant longo prospectu, in longitudinem fori, ad Occidentem, ad centenûm passuum distantiam, geminæ superbæ Columnæ, opere Dorico, cum basibus, stylobate, & zophoro, ad altitudinem .LXVII. pedum à terra in aërem productæ, auratis capitibus, auratis spiris, & varietate marmorei coloris illustres, habentes loco epistylij seu (si mauis) architrabis, grandem abacum altitudinis .viij. latitudinis verò plus minus .xl. pedum, tantum enim loci occupauit columnarum distantia. Is Abacus erat perscriptus, literis symmetrica ra

MAGNVS GIGAS, IN FORO.

ILLE EGO, QVEM FAMA EST, HIS OL.&c.

Tota altitu. ped. lxvij. Latitu. plus minus pe. xl.

Hîc pictor omisit adpingere Gigãti coccineam chlamydem, valde decorè illi antiquo ritu ab humeris dependentem.



ca ratione optimè formatis, Dorica proportione, singulis ferme pedalibus.

His ambabus columnis vnicus, solidus, indistinctus erat Stylobates, pertingens ab alterius columnæ extremitate, vsque ad extremitatem alterius.

Super hoc Stylobate medius inter vtrasque columnas sedebat immanis Gigas, vasto corpore, altitudinis .xxiiij. pedum, ad humanæ proportionis formam membratim ita compositus, vt cis alpes, seu magnitudinis, seu artificij rationem spectes, nusquam reperias colossum huic comparandum.

Est intus, vacuo ventre, vacuo femore, vacuis cruribus, vacuis brachiis, vacuo pectore, vacuo collo, & capite prorsus inanis: sic ex varia ad hoc per artifices excogitata materia factus, tam durus, tam solidus, tam nihil penetrabilis, vt neque ferro, aut etiam tormentariis vix globis, aut vermibus, aut vlli putredini cedat, aut vlla vi flecti, pluuiisque, aut alia quauis cœli iniuria solui, molliorve fieri queat, solo Vulcano super omnia ipsi inuiso: illum solum timet, illum solum, vt infensissimum sibi hostem, studiose obseruat.

Ascenditur intrinsecus (vidimus enim) gradibus aliquot scalaribus vsque in caput, ex hoc coniicito eius corporis capacitatem.

Aspectum habet planè gigantæum, crudelem, formidabilem, tyrannicum, barbam prolixam, ruffam, oculos ardentes, toruos, introrsum cauos, supercilia hirsuta, oculis minaciter incumbentia: Brachia ei nuda, fœmora, tibiæ, suræ nudæ: Pedes cothurnis, pectus antiqui ritus thorace tectum est: nutat nonnunquam capite, grandesq; oculos mouet, aliquo scilicet id intrinsecus agente.

Adueniente PRINCIPE, visus est solitò blandior ac festiuior: habebat caput pulchrè ornatum candidis, puniceisque rosis, quod huic vrbi est Insigne. Ab altero humero dependentem, cocco tinctam, festiuè rubentem, gestabat togam: manu dextera ligneum, suæ magnitudini par, tenebat sceptrum, albo ruboque colore distinctum. Ex latere sinistro, ingens, incuruus, terrificus, pendebat ensis.

In Abaco columnis (vt dictum est) imposito, huiusmodi erant inscripta loquentis Gigantis verba:

ILLE EGO (QVEM FAMA EST, HIS OLIM LOCIS NOVAM EXERCVISSE TYRANNIDEM) ETSI CORPORIS VASTITATE ADHVCDVM SIM FORMIDABILIS, POSITA IAM FERITATE, TIBI PHILIPPE PRINCEPS MAX. LIBENS CEDO, TVAEQVE ME POTESTATI VLTRO SVBIICIO.

Hunc Gigantem constans vulgo fama est, (quam etiam pueri audiuimus) olim vocatum Antigonum, tenuisse eum locum ad SCALDIM fluuium, vbi nunc etiamnum hodie visuntur vetusti Antuerpiensis Castri ruinæ, murique partim diruti: sed iam Cæsaris ædicto, in quo nunc sunt statu, seruari iussi, vbi & vrbis prætorium, & publicus carcer, & Principis telonium, & Diuæ VALBVRGIS, quod olim MARTI (vt aiunt) sacrum erat, phanum.

Hic

Hic ANTIGONVS fortißimi (vt tum erant tempora) castri munitione fretus, cœpit Tyrannum agere, à prætereuntib. vectigal exigere, latè crudeliter imperare: si quos deprehendisset, qui vectigal non soluerent, aut soluere recusarent, id ab eisdem violenter extorsit, grauique contumelia affectos, altera abscissa manu, sanguinolentos abire sinebat: à quo facto vicinarum regionum incolæ cœpêre locum vocare HantVVorp, id est, manuiactionem: quam vocem nunc (dempta aspirata, mutataque litera o in e) pronunciamus AntVVerpiam. Reperimus in vetustis quibusdam scripturis aliquando vocatam fuisse Andouerpam, aliquando Antorpiam, cui adludentes Germani, scribunt Antorff.

Quidam itaque huius Prouinciæ, tunc Princeps, cui nomen BRABON, vnde Brabantiam dictam arbitrantur, non ferens Tyranni insolentiam, graui adortus est eum pugna, Heroicaque virtute per luctam viriliter victum prostrauit, occidit, regionem tyrannide liberauit.

Varia de his vulgo narrantur, sed rudis illa ætas nihil recti scriptum reliquit: non sunt tamen creditu minus digna, quàm quæ olim veteres de suis Diis Ioue, Iunone, Saturno, Mercurio, &c. seriò credidêre.

De abscissione & iactu manuum, certum est plærosque huius vrbis ciues, quos probè nouimus, adhucdum viuere, qui seriò affirmant haud adeò multis ab hinc annis se manifestè vidisse inter diruendum vetusta quædam ædificia, inuentas certas cistulas, plænas abscißis integris sed exsuccis hominum manib.

Præterea, visuntur palàm in Senatu nostro, integra quædam insuetæ magnitudinis ossa, ferreis cathenis ibidem pendentia, quæ communi omnium opinione putantur istius esse Gigantis: Vtcunque autem sit, Anatomices periti certò affirmant, maximi alicuius hominis esse ossa: Sunt autem hæc,

Coxa, Dens, Brachium, Spatula, Tibia.

Qui ea ossa dimensi sunt, aiunt ex eorum dimensione se deprehendere, hominis illius staturam fuisse .xviij. pedum.

Nos aliquando in singula hæc ossa, meminimus singula lusisse disticha, quæ apud Quæstores in ærario publico adseruata legi possunt. Sunt autem hæc:

IN COXAM.

Tanta hæc horrifici fuerit si coxa Gigantis,
Cætera quanta illi membra fuisse putes?

IN DENTEM.

Faucibus immensis dens hic stetit, ore voraci
Quiuisset solidos ille vorare boues.

IN BRACHIVM.

Quàm fuerit forti munitus robore, sæuus
Ille vir, id cubiti pars monet ista sui.

IN SPATVLAM.

Ardua terribilis spatula hæc est (crede) tyranni,
Quid reris quantum sustinuisset onus?

IN TIBIAM.

Gestauit vastum vasta isthæc tibia corpus,
Enceladum æquauit, non dubium, ille gradu.

Sed hæc hactenus, videamus quid deinceps fuerit spectandum.

AVLA TEMPORRIA, IN FORO.

PRætereuntibus Gigantem, continuò ad .xxxv. passus, ante oculos erat SENATVS. Hîc pro fronte ipsius Senatus, parandis CÆSARI, PRINCIPIque Filio, Sororibusque Reginis, epulis, nostri Magistratus innumeris adhibitis artificibus, intra paucißimos dies incredibili celeritate exstruxère augustam, ingentem, pulcherrimam Aulam, quadratæ figuræ, patentem in toto suo quadrato pedes. CCCCC. VIII. Habebat autem ab Oriente augustum tribunal, in forum protensius, ex quo Cæsar, Filiusq; & Reginæ exhibendos ludos liberius spectarent: Sub quo tribunali fabricatus erat Arcus, populo, quò ire vellet, peruius.

Tam ingens autem moles sustentabatur intus quaternis tantùm quadratis columnis, quas antè, pilas, seu pilastros diximus vocari.

Erat hæc Aula (præsertim extrinsecus) venustißimis Architectorij operis picturis decorata, crebris à terra fornicibus, Dorico ritu, innixa, tanto artificio ex sola pictura ductis, vt non ex coloribus sed ex viuis lapidibus (deceptis arte oculis) viderentur constructæ.

Latitudo eius extrinsecus, à fronte, forum versus, se extendebat in ped. C. xxvij. altitudo autem vsque ad tectum p. xl. Cum tecto verò plus minus. lx.

Huic à latere Orientali (sic enim erat sita, vt vno angulo respiceret Orientẽ, altero Occidentem) contiguus erat pons spectatorius, super quo ludorũ spectacula in foro edenda, conspicerentur, crebris à terra columnis ad æqualem latitudinem Aulæ subductus: Erat autem columnarum duplex ordo, superior & inferior: inferior sustinebat ipsum pontem, superior pontis tectum, quod spectatorum commoditati inductum fuerat: Intercolumnia superioris ordinis habebant versus forum sustentacula altitudinis paulùm infra quatuor pedes, quibus spectatores inter spectandum cubitis pectoribusve inniterentur.

Erat hic pons longus plus minus ped. CC. Habebat quoque in sua extremitate tribunal, forum versus extensius, ex quo quibusdam Principibus, ludi seorsim commodius spectarentur.

Huius Pontis, contiguæque ei Aulæ, habes altera pagina sequentis folij figuram.

ARCVS PVBLICVS

AD INGRESSVM VIÆ ALTÆ.

AVLA illa qua parte iungebatur contiguo ponti, erat (vt suprà quoque diximus) sub suo illo tribunali in Arcus modum peruia. Dimisso igitur Gigante, hâc transitum est per latera Senatus ad viam, quæ cognominatur Alta. In cuius viæ capite continuò se offert, & si magnitudine non adeò excellens, operis tamen elegantia illustris Arcus, pia Magistratuum cura in CÆSARIS, PRINCIPISQVE FILII gratiam, ibidem Corinthia dispositione sublimè in aërem productus, distans ab Senatu circiter .xxx. passus.

Habebat autem duas facies, habebat & duplicem columnarum ordinem.

Erat totus ex Parij lapidis colore candidus, hîc illic auro opportunis locis asperso. Columnæ ex versicolore marmore, striatæ, capitellis spirisque suauiter auratis, miram addebant operi gratiam.

Patebat in latitudinem plus minus .xxviij. ped. Surgebat in altitudinem cum sua eleuatione ad pedes L. Habebat autem in profunditate. ped. xx.

Transitus erat latus xiiij. ped. Vsque ad fornicis autem curuaturam erat altitudinis duplicis quadraturæ.

In singulis angulis supra Simam, stabant singulæ, ingentes, bicipites Aquilæ, expassis alis, sic ad naturæ imitationem efformatæ, vt certò viuere existimarentur.

Stabant super eleuatione geminæ satis grandes statuæ, aurato vsque ad talos amictu, auratis armis, & strictis in manu gladiis latè fulgentes: altera erat CAROLI .V. CÆSARIS, altera PRINCIPIS PHILIPPI illius filij: hæc Regia ex auro corona, illa Imperatoria eiusdem metalli tiara conspiciebantur decoræ, ita ad viuentum effigiem dedolatæ, & colore vultibus inducto compositæ, vt CÆSAREM ipsum, vt ipsum PRINCIPEM PHILIPPVM verè viuos, non statuas te intueri putasses.

Erant singulæ longitudinis amplius .viij. ped.

Gestabant humeris nixæ, magno (vt videbatur) molimine, ingentem totius inferioris huius mundi orbem, circunfuso mari, insulis, prouincijs, fluminibus, syluis, montibus, vrbibus, adpictis γεωγραφικῶς distinctum.


Habebat autem hic orbis in suo diametro pedes ferè .xij. hoc est simpliciter in circulum ducta linea pedes .xxxvj.

Profectò spectatu rarum erat, ac periucundum, videre tantos Principes, de facie notos, tam sublimes procul à terra, in aëre stantes, tantam humeris gestare molem. Nec minus erat mirum, eam molem & magnitudinis & rotunditatis ratione sustineri difficilem, nullo alieno (quantum videri poterat) su-

AVLA PVBL TEMPORARIA.

In foro, ad Ædes Senatorias.

Altitudo vſque ad tectum, p. xl. cum tecto autem plus mi. lx Latitud. p. c. xxvij



Obſerua, quiſquis hæc vides, hanc Aulam hîc præpoſterè poſitam eſſe, ita vt facies dextera iam ſit ſiniſtra, Oriens iam ſit Occidens.

Tribunal ſpectatorium cum peruio Arcu.


Pons ſpectatorius huic Aulæ contiguus, longus in toto plus minus pedes CC. altus cum compartimentis ped. xl.

Tribunal ſpectatorium, ad pontis extremitatem.


Menſura pedis Antuerpieñ concordañ cum antiquo pede Romano.

ARCVS HIC DESCRIPTI FIGVRA.

Altitudo ped. L. Latitudo p. xxviij. Profund. ped. xx.



Eiuſdem Arcus Ichnographia.



ſuſtentaculo inter validiſsimas etiam ventorum procellas, potuiſſe vel ſubſiſtere vel teneri.

In Zophoro Epiſtylij ſemipedalibus literis ſcriptum legebatur hoc diſtichon:

ALCIDES, ATLASQVE INGENS, NVGÆ OMNIA: VERE
ISTI HVMERIS GESTANT TOTIVS PONDERA MVNDI.


Intra Arcum tam in vtroque latere, quàm fornicis curuatura, venuſtiſsimæ viſebantur picturæ, in fornice quidem ſuper tranſeuntium capita, picta erat Dei inter ſidera per nubes deſpicientis imago: In latere verò iſto ſtabant Cæſar & Filius in continenti terra, velut terrarũ domini, Adſiſtente atq; adblandiente eis Dea Cybele, capite turrito, quæ veteribus colebatur pro Dea terræ, In illo autem, magnum erat mare, in quo Cæſar & Filius tanquam Oceani rectores, triumphali ſedentes vehebantur curru: Neptunnus verò (velut illis ſubſeruiens,) frenatis marinis equis, aurigam agebat, Cœlóque (ait ille) inuectus aperto, ipſe rotis ſummas videbatur leuibus perlabier vndas.

Atque his quidem picturis hocce additum erat diſtichon:

ÆTHEREA ASTRA DEVS, CÆSAR, NATVSQVE, POTENTI
IMPERIO TERRAM, PELAGIQ; PROFVNDA GVBERNANT.

Arcus pub. ad forum Linarium.

Tota altitudo pedes .lxx. Latitudo pedes .xl.




B Arcu illo ad ingressum viæ altæ, ad .xc. passus, in quadriuio, vbi forum (quod aiunt) linarium, visus est alius Arcus, qualem hîc symmetrica dimensione delineatum vides, picturæ amœnitate valde splendidus. Erat autem altus ped. lxx. latus verò ped. xl.

In eius fronte inter extremas columnas supra curuaturam fornicis fabricatum erat festiuum Pegma, in quo, æditiori loco, velut in maiestate sedebant, & effigie, & consueto habitu omnibus noti:

PHILIPPVS, Dux Burgundiæ cognomento Bonus, Ducis Ioannis filius.

CAROLVS, Dux Burgundiæ, ille strenuus.

MARIA, Caroli illius strenui Filia, patre occiso, pupilla: postea Maximiliano Cæs. in Coniugem data.

DIVVS MAXIMILIANVS CÆS. Diui Caroli.V.Cæs. paternus auus.

PHILIPPVS, Rex Hispan. Diui Maximiliani.F. ac Diui Caroli.V. pater.

DIVVS CAROLVS .V. CÆS. AVG. Philippi Regis F.

PHILIPPVS. Hispan. Princeps Caroli.V.Cæs. F.

Ante hos loco inferiori stabant hæ personæ:

FIDES, speciosæ virginis forma, in amictu candido, candidam inter brachia tenens catellam.

OBSEQVENTIA, in venustæ pedissiquæ habitu.

CANDOR, adolescentis specie, candido vestitu, lileacea in capite corolla, lileaceum manipulum manu gerens.

ANTVERPIA, vertice turrito, cæteroque habitu, vti suprà diligentius descripta est: quam Fides, Obsequentia, & Candor, manu præhensam, verecundo gestu, PRINCIPI PHILIPPO præsentatabant: Ille porrectis manibus clementer acceptam ad se recipere videbatur: cæteris adstantibus fauere visis.

Porrò quid hæc sibi vellent, quorsum tenderent, quam significationem haberent, Inscriptio Abaci in fronte Pegmatis posita, facilè indicabat:
Erat autem huiusmodi:

QVAM INCREDIBILI FAVORE, AC BENEVOLENTIA, TVI PROGENITORES OPTIME PRINCEPS, VRBEM ANTVERPIAM SEMPER PROSEQVVTI FVERINT, ADIVVERINT, PROMOVERINT, OMNIBVS NOTVM EST. QVAM VERO ILLA ET BENEFICIORVM MEMOR, ET GRATITVDINEM SVAM DECLARANS, ILLOS PRÆ CÆTERIS OMNIBVS IMPOLLVTA SEMPER FIDE, IVGIQ; ET CANDIDO, SEMPERQVE PARATO OBSEQVIO, SEDVLITATE, STVDIO, HACTENVS COLVERIT, AMAVERIT, OBSERVAVERIT, OMNIQ; IPSIS, (VBI RES EXIGERET) OFFICIO QVAM PROMPTISSIME ADFVERIT: IPSI VICISSIM LIBENTER AGNOVERE. QVOD ET TE EX EORVM VESTIGIIS PARI VIRTVTE OMNINO PRÆSTITVRVM, NIHIL QVIDQVAM SPERAT FORE CERTIVS.

Habebat hic Arcus duas facies. In altera quidem magno artificio luculentissimè stabant depicta duo communi hominum statura simulachra, nempè alterum FIDEI, *alterum* OBSERVANTIÆ. *In altera verò, duo similiter simulachra, alterum* CANDORIS, *alterum* OBSEQVENTIÆ.

Hic Arcus, & memoriæ erga benefactores causa, & antiqui fauoris cum nouo ac desiderato PRINCIPE *continuandi, nouique conciliandi spe, Magistratuum prouidentia erigi iussus.*

ARCVS PVBLICVS
AD PORTAM DIVI IOANNIS.

INter transeundum hunc Arcum, ad .C. ferè passus, subitò aspectu videmus è regione sublimem illam ac veterem vrbis portam, quæ vocatur S. Ioannis, vbi extrema olim ab illa parte vrbis mœnia, fossis adhucdum integris, nisi vbi à ponte Scaldim versus in nauium stationem mutatæ sunt.

Huius portæ transitus in latitudinem habet ped.xij. in altitud. verò.xx.

Huic pro fronte Magistratus adiunxêre triumphalem Arcum, altitud. & latit. portæ per omnia respondentem, sic vt vtraq; viderentur vnus esse Arcus.

Tota eius Arcus altitudo habebat ped.lxv. Latitudo verò ped.xxxv.


Erat autem & insignis picturæ, & columnarum, & spectaculorum in eo exhibitorum gratia, valde commendabilis: Cuius hîc figuram per omnia ei similem videre licet: Spectacula autem in eo exhibita, erant in Principis gratiam in Symbolicum illius dictum, NEC SPE, NEC METV, *excogitata: Quo significari videtur, generosum Principis animum sic debere heroicæ fortitudinis constantia obfirmatum esse, vt nullis rationibus, nullis affectibus, nullis casibus, siue fauoris aut commodi aut rerum secundarum spe ad dexteram, siue incommodorum, aut aduersantis fortunæ metu à læua, aliisve quantumuis grauibus ac molestis turbationum causis, procellis, tempestatib. minis, ad neutram inclinans, à recti, iusti æquiq; proposito se flecti patiatur: sed velut quadrato consistens saxo, quod sua natura nunquam cadit, (quadrata enim perpetuò stare necesse est,) ad omnia immobilis maneat.*

Istorum autem spectaculorum exhibitio erat huiusmodi.

PRINCEPS *ad viuam suamipsius similitudinem efformatus, virili gestu stans super quadrato lapide, altitudinis trium pedum, vtrinque veste apprehensus, videbatur distrahi, à dextera quidem* SPE, *à sinistra verò* METV. *Spes autem similis erat sollicitæ mulieri, alata, aërij coloris habitu, capite radiato: Metus verò, præ se ferebat virum macie confectum, pallido & exangui colore horridum, pilis in capite erectis terrificum.*

Ecce autem mulieres quædam, duæ hinc, duæ illinc, sunt visæ Principem amplecti, atque ita immotum tenere, vt neque hinc allicientis Spei blandiciis,

neque



Tota alt. ped.lxv. Latitudo pe.xxxv.

neque illinc instantis Metus flecteretur aut vacillaret minis. Fuere autem (vt adscripta nomina indicabant) hæ quatuor diuinæ viragines, CONSTANTIA, FIDVCIA, FORTITVDO, MAGNANIMITAS, aspectu animoso, virilibus togis, ab altero humero dependentibus, thoracibusque & galeis, perstrenuæ.

In saxo subter pedes PRINCIPIS, literis pedalibus scriptum erat sic:

NEC SPE, NEC METV.

In Zophoro inferiori super Arcus curuaturam sic:

NEQVE AD DEXTERAM NEQVE AD SINISTRAM.

In Abaco frontispicij hoc legebatur tetrastichon:

QVALIS DVRA SILEX, QVALIS MARPESIA CAVTES
STAT MEDIIS IMMOTA VNDIS: ITA TVRBINE QVOVIS
AVT HVC AVT ILLVC VIRTVS HEROICA NESCIT
FLECTIER, INTREPIDVM OBFIRMAT CONSTANTIA PECTVS.

In Zophoro superiori, lato. xx. alto. ij. ped.

AFFECTIBVS NON MOVERI, PLANE
REGIÆ VIRTVTIS OPVS.

PRIVATVM MONETARIORVM
PEGMA, AD AEDEIS MONETARIAS.



B hoc spectaculo per suprà memoratā portam, itum est in aream, quæ nomine satis noto appellatur Litus, aut potius Ripa, In cuius capite læuorsum, ad viam quæ ducit ad Diui Michaelis, sitæ sunt Monetariorum ædes, distantes à iam dicta porta. C. XV. pass.

Hic Monetarij, in DIVI CAROLI .V. CÆS. illiusque FILII PHILIPPI gratiam, pro fronte ædium locauêre, impensis non modicis, & celeritate haud facile credibili, spectaculis, picturis, & marmoratis columnis, Pegma, spectantium oculis (quemadmodum & cætera omnia) valde delectabile.


Surgebat hoc pegma in altitudinem ped. liiij.

Porrò eius latitudo, patebat ped. xxix.

Habebat verò duas Scænas, alteram impositam alteri.

Spectaculorum autem in eisdem exhibitorum huiusmodi erat argumentum:

DEVS, quum lapso homini iussisset in sudore vultus sui manu quærere victum, iamque in immensum auctum fuisset hominum genus, nullaque tum esset vitæ politia, nullus rerum communicandarum ordo, sed omnia siluestria, inculta, incondita, omnis humanitatis expertia: mirabili quodam medio, consulturus eorum simplicitati, tradidit eis insigne cœlestis beneficij donum, nimirum politioris vitæ administratricem, humanæque societatis conciliatricem MONETAM. Monetam inquam omnis Opulentiæ, Copiæ, Negociationis, & Ciuilitatis ex legitimo vsu, Matrem. SATVRNVS, alijq; industria insi-



Tota alti tu. p.liiij. Latitudo pe.xxix.

gnes viri, hanc cœlitus à Deo datam, exercere, cudere pecuniam, nummosque facere, eorumque legitimum vsum docere: Principes verò & Magistratus, mortalium necessitati distribuere cœperunt, totumque orbem diuina hac commoditate per Monetarios affecerunt.

In superiori igitur Scæna, DEVS, *multa circumfusus luce, in candida sedens nube, viro cuipiam ante se in genua procidenti (cui titulus inscriptus* HOMO *) exporrecta manu tradebat auream, argenteamq; monetam: Ille diuino eo munere (vt ex gestu apparebat) lætus, datori meritas agebat gratias.*

In inferiori Scæna, SATVRNVS *forma viri senis, seminudi, prolixis, canis, in humeros fusis capillis: rugosa fronte, candida, longaq; in pectus promissa barba, fabri ritu ad incudem sedens, iacente ad pedes vinitoria falce, senili gestu leuatis brachijs cudebat cùm auream tum argenteam monetam.*

Adstabat Saturno Dea MONETA, *formosæ mulieris specie, in vestitu duplici, superiori quidem aureo, inferiori verò argenteo: Sertum ex aureis, argenteisque nummis contextum, speciosum ornabat caput: Monile ex aureis itidem & argenteis nummis connexum, à collo dependens, formosum honestabat pectus.*

Huic aderant velut venustissimæ matri pulcherrimæ filiæ:

OPVLENTIA, COPIA, NEGOCIATIO, CIVILITAS.

Saturnus cusam ab se pecuniam, Deæ Monetæ liberaliter in manus tradebat: Illa eandem eadem liberalitate plænis manibus in spectantis vulgi turbam dispergens proiiciebat.

Hîc vidisses lepidissimum velut alicuius Comœdiæ actum, dum omnes sursum ad nummorum iactum hiarent, omnesque simul manus ad rapiendum protenderent, alij alios cubito truderent, alteri alteris nummum præhensum præriperent, alij labris, alij dentibus, alij manu, alij galericulo nummum reciperent, alij alios proculcarent, pugnis cæderent, crinibus traherent, conuicijs incessèrent, se mutuò comprimerent, inter compressiones vario vlulatu se lædi, se suffocari quererentur, clamarent, vociferarent.

In zophoro inferioris Scænæ hæc legebatur inscriptio:

DIVO CAROLO .V. CÆS. ILLIVSQ; .F. PHILIPPO, PRINCIPI NOSTRO OPTIMO, PRIMVM OB HVIVS DESIDERATISSIMVM EX HISPANIIS ADVENTVM, DEINDE OB GRATISSIMAM VTRIVSQ; PRÆSENTIAM EXVLTANTES, MONETARII ANTVERPIEN. POSV.

In zophoro superioris Scænæ:

MONETA MIRANDO DEI DONO COELITVS TRADITA, SATVRNI, ALIORVMQ; OPERA EXCVSA, PRINCIPVM VERO BENEFICIO MORTALIB. DISPENSATA.

Hæc Monetarij, quos deinde sequuti sunt superiores Germani.

PRIVATVS GERMANORVM ARCVS, IN VIA MICHAELITANA.

Germani quoque ob desideratum PRINCIPIS *aduentum, gratissimamque* CÆSARIS *præsentiam multum gauisi, dimidiata ferè via inter prædictas Monetariorum ædes & Michaelitarum, (vbi Principum Regia) Monasterium, posuêre (non paruis quidem impensis)* CÆSARIS, PRINCIPISque HONORI, *peregregium quadrata cauea, vt intus, sic & foris duplici columnarum ordine, triplici transitu, lapidis Parij colore, Corinthiacæ dispositionis duplicem Arcum, dißitum ab Monetariorum spectaculo .lx. paßibus.*

Columnæ omnes erant eleganter striatæ, capitibus et basibus auratis, foris in inferiori quidem ordine rotundæ, in superiori verò quadratæ.

Omnes statuæ in eo Arcu visendæ seu foris seu intus, aut erant totæ aureæ, aut totæ argenteæ.

Medius transitus patebat in latitudinem . xij. ped. laterales verò .vj. Singuli autem surgebant in altitudinem dupla proportione quadrati.

Latitudo totius operis habebat plus minus.lvj.ped. Profunditas vero.lxij.

A terra vsque ad Simam inferioris columnationis, erant ped.xxxj.

Ab ea Sima vsque ad eam quæ erat superioris columnationis, ped.xvj.

Eleuatio extendebatur in ped.vij. Globus verò cum Aquila eleuationi imposita, ped.x. Quæ simul totam molem erigebant in altitudinem pedum.lxiiij.

Igitur super huius Arcus Eleuatione, sublimi in aërem prospectu, videbatur ingens aureus mundi Globus, supra quem grandi corpore biceps Aquila, Imperij insigne, protensis alis, lubricæ insistens pinnæ, se huc illuc secundum auræ flatum voluebat.

Ante hunc globum subter Aquilam, in Sima cernebatur argentea mulieris statua, cui nomen inscriptum, GERMANIA, *addita hac ex Dauide maiusculis literis, sententia:* SVB VMBRA ALARVM TVARVM.

In singulis Simæ angulis, singulæ erant præcipuorum Germaniæ fluuiorum argenteæ statuæ, argenteis vrnis, argenteas largè fundentium aquas, quorum hæc erant inscripta nomina: DANVBIVS,
RHENVS,
ALBIS,
VISTVLA.


In eleuatione, ad faciem anteriorem, fluctuabat in aëre permagnum hastatum vexillum, Imperij insignibus illustre.

In facie anteriori forinsecus, in superiori columnatione, duæ stabant aureæ statuæ, aureis tribunalibus impositæ, altera cum hac inscriptione:


TVISCON, VETVSTVS GERMANORVM DEVS.

Huius Arcus figura, partim intus, partim foris ſpectanda.

Tota alt. pe.lxiiij. Latit.lvj Profun. ped.lxij.



EIVSDEM ARCVS
Ichnographia.



Altera autem cum hac: MANNVS, DEI TVISCONIS FILIVS.

In inferiori columnatione eiusdem faciei, duæ statuæ argenteæ, in tribunalibus aureis in forma muliebri: Altera ciuitatis AVGVSTÆ: Altera NORIBERGÆ, cum proprijs quæque insignib. Alterius hæc erat inscriptio:

INCLYTA VINDELICORVM AVGVSTA.

Alterius verò hæc:

PERCELEBRIS NORICORVM NORIBERGA.

In facie posteriori extrinsecus, in superiori columnatione, duæ aureæ statuæ, In aureis tribunalibus, altera Regis Teutonis cum hac inscriptione:

TEVTO, PRISCVS GERMANORVM REX.

Altera Ducis Orgetorigis, cum inscripto titulo:

ORGETORIX, MAGNVS GERMANORVM DVX.

Intra caueam, duplex quoque erat columnarum ordo, sed sine differentia omnes erant quadratæ, striarum canaliculis, Corinthia consuetudine distinctæ, aureis capitibus, aureis basibus superbæ.

Intra eandem caueā, in superiori columnarum ordine, è conspectu ingredientium, conspiciebantur in aureis tribunalibus tres fulgentes auro statuæ, media CAROLI .V. CÆS. dextera, D. FERNANDI Hungariæ &c. Regis: sinistra PRINCIPIS PHILIPPI, Caroli Cæs. F. Hæc regia corona, regio sceptro, regio vestitu: illa Cæsareo tyara, Cæsareo ense, Cæsareo amictu venerāda.

His ex aduerso in eadem columnatione, vidimus duo simulachra argentea, in aureis tribunalibus, virginea specie conspicua: altera, manu gerebat auream buccinam, cui inscriptum erat nomen, IMMORTALIS FAMA: altera, dextera quidem aureum scribentis calamum: læua verò aureum tenebat librum, addito hocce titulo, DISCIPLINA.

In lateribus eiusdem columnationis, Stabant in aureis tribunalibus, Sex Imperij Electores, aureis statuis insignes, singuli & consuetis ornatibus, & proprijs adiunctis insignibus, spectatoribus satis noti.

Forinsecus in vtraq; facie superioris columnationis, prægrandis erat Abacus, in quo Germani suam attestantes erga Cæsarem eiusque Filium affectionem, huiusmodi posuère inscriptionem:

DIVO CAROLO MAXIMO IMP. CÆS. AVG. MAGNO ITEM PHILIPPO, ILLIVS .F. OB GRATISSIMVM EORVNDEM ADVENTVM, IMPERIVMQVE CÆSAREA PROVIDENTIA TRANQVILLITATI REDDITVM, CERTA CONCEPTA SPE MAGNVM ILLVM FILIVM MAXIMO PATRI IN IMPERII ALIQVANDO SVCCESSVRVM SCEPTRA, GERMANI VTRIVSQVE CLEMENTIÆ ADDICTISSIMI.


Artifices & Operarij huic operi adhibiti, fuère .xc.

Insumpti autem sunt in eo ter mille ducenti Carolæi.

Hucusque Germani.

Arcus publicus, ad Diui Michaelis.

*Alt. p. lx.
Latitudo
pe. xxxv.*



ARCVS PVBLICVS, ad Diui Michaelis.

D*IMENSO iam ferè toto Triumphali itinere, tandem metæ propiores, vix à spectando Germanorum Arcu digressi, non sine stupore nouam videmus spectaculi faciem, Apparebat enim à longè ignea quædam multorum scintillantium luminum congeries, leniter in orbem circumagi visa: Accedimus, & ecce prope Monasterij ingressum, ad introëuntium sinistram, conspicimus vnius transitus Arcum, cum duplici columnarum ordine, epistylis, coronice, frontispicio, & tympano, quemadmodum in præcedenti pagina lineatum depictum vides.*

Habebat in altitud. ped. lx. In latitud. verò xxxv.

In hoc Arcu, intra superiorem columnarum ordinem, in præcelso Pegmate cernere erat nouum illud igneum, quod iam nunc eminus videramus spectaculum: nempe ætherij coloris orbem, latitud. xx. pedum in diametro, in circuli circunferentia verò lx. sic pictoris industria ad conuexi cœli imitationem, in profundam concauitatem introrsum deductum, vt ipsißimam cœli speciem præ se ferre videretur, præsertim dum nullo vsquam conspecto motore per se pedetentim circumuolueretur, Centumque & amplius in eo ardentes lampades, velut scintillantes stellæ vnà circumactæ, collucerent: quod erat spectatu longè iucundißimum.

Hæc autem lampadum sydera, ex vitreis vasculis infuso oleo, additis liciis concinnata, sic ahæneis filis lepidißimo ordine gradatim suspensa erant, vt quò versatilis illa se moueret machina, eò se quoque vnà conuoluerent, integris & flammulis, & oleo, liciisque nihil motis.

Ante hanc stellatam machinam, in pegmatis medio, DEVS: à quo (inquit Apostol.) omnis potestas, in sua considebat gloria, huiusmodi circum se habens ministras, MAIESTATEM, VIRTVTEM, GLORIAM, aurata veste decoras: POTENTIAM, strictum manu gerentem gladium: FAMAM, alatam, oculis plenam, sonoram inflantem tubam: IMMORTALITATEM in veste candida, radiis fulgentibus circum caput, Mortem pedibus calcantem. Tres quoque præter cæteros adstabant ei Angeli, hic aureum regale sceptrum manu tenens, iste nudum gladium, ille regiam coronam.

PRINCEPS *ad viuum effigiatus, ante DEVM in genua procumbebat.*

DEVS acceptum è manu proximè astantis Potentiæ, tradebat illi gladium, deinde è manu prioris Angeli, regium sceptrum: ac mox è manu alterius Angeli, auream varij generis lapillis ac vnionibus distinctam Coronam, quam capiti suo impositam ipse cum multa gratiarum actione diuino munere lætus, alacriter accipiebat, cunctis adstantibus mirificè applaudentib.

Huic

Huic spectaculo, in superiori zophoro, literis pedalib. ex Diuo Paulo Apostolo, huiusmodi adscripta erat sententia:

NON EST POTESTAS NISI A DEO.

Cùm verò omnibus hominibus permagnæ sit admirationi, tot hominum myriadas, vnius capitis (quem Principem vocamus, qui non minus homo est quàm cæteri omnes) ita subijci imperio, vt (etiam si è media sit ascitus plebe) ab vno illo pendeant omnes, illum solùm suspiciant, admirentur, propè adorent, velut Dei loco habeant, reuereantur, metuant, colant, obseruent, se illius potestati vltro dedant, illius iußis obtemperantes pareant, sua corpora, facultates, fortunas, illius arbitrio committant: Illo incolumi & bene imperante, læti, fortunati, securi, in summa concordia & pace agant: Secus habente, aut è viuis sublato, (nisi mox alter eius loco Imperio dignus succedat) omnia, interuenientibus discordiis, fracto fœdere, turbata pace, mutari, labefactari, factionibus, seditionibus, tumultibus, cædibus, bellis, rapinis impleri, atque (vt ait optimus ille Vates) in peius ruere, ac retro sublapsa referri: Nihil quidquam persuasius quàm hæc nullo humano consilio, præstari poße, sed manifesto miraculo ab solo rerum opifice DOMINO *potenter fieri, qui constituit omnes homines, velut vnius corporis membra, vni legitimo debere subesse capiti, Ideo in inferiori Zophoro adscribi curauimus Dauidicum hunc versum,*

A DOMINO FACTVM EST ISTVD, ET
EST MIRABILE IN OCVLIS NOSTRIS.

Qui versus, tametsi prophetico vaticinio de solo Christo dictus sit, optimè tamen (citra flagitium) huic rei accommodari est visus, quandoquidem, vt suprà ostendimus, hæc & manifestè Dei ordinatione geruntur, & mortalibus miraculo habentur.

In Abaco autem, qui erat supra Zophorum, Reipublicæ nomine, huiusmodi posita erat inscriptio:

TE GLORIOSA HAC POTESTATE COELITVS A DEO DONATVM FOELICISSIME PRINCEPS, LONGISSIMA NOBIS FOELICITATE CLEMENTER PREESSE, SVMMIS STVDIIS, PVRISSIMISQVE VOTIS ARDENTER OPTAMVS,

ET istud quidem, post tot spectacula omnium postremum.
Hîc Triumphalis illius viæ terminus.
Hîc PRINCEPS *cum* PATRE CÆSARE, *geminisque* REGINIS *suo quisque destinato sibi loco cum incredibili plausu recepti.*

Deinde hilariter cœnatum, ac tandem ad optatæ quietis munera itum.

PRINCEPS rursum inauguratus.

POstero die, hoc est pridie Id. Septemb. PRINCEPS, *cum splendidissimo comitatu, ad Matris Virginis Ædem profectus, sacrisque ibidem solenniter peractis, in forum se recipit: vbi in temporaria illa (de qua superius diximus) Aula, pro tribunali, hoc est suggesto ad hoc peculiariter destinato, frequenti Heroum, ac Procerum, Magistratuumque adstante corona, densissima populi in foro congregata multitudine, rursus solemni iureiurando in futurum hæreditarium Principem, patriæque patrem ritè inauguratus, maximisque mirificè fauentium, manusque in altum tendentium Ciuium acclamationib. acceptus est: Hîc magna adcurrentis plæbis compreßione, ingens cùm aureæ tum argenteæ monetæ copia, inaugurati iam Principis munificentia, in vulgum sparsa: deinde ad Michaelitas, in Regiam, rursus abitum.*

A meridie autem, Principe in Regia opperiente, Lusitani, qui cum reliquo Nationum equitatu, ad Principis introitum, ob causas antè redditas, non comparuerant, persplendido illo superius descripto apparatu, inspectante iam Principe, magnificè obequitantes, se coram videndos exhibuêre.

LVDVS HASTARIVS.

SEquuntur Idus Septembres, PHILIPPI *Martyris memoria sacræ. Erat autem hic Philippus Romano sanguine inclytus, clarißimæ Virginis ac Martyris* EVGENIÆ *pater, primùm quidem sub Valeriano & Galieno Imp. Præfectus Alexandriæ, Deinde verò sub Imp. Seuero, cùm ab idolis ad* CHRISTVM *defecisset, eiusdem vrbis factus Episcopus: tandem à Perennio, in eam Præfecturam sibi successore, Seueri iussu (crediti Christi causa) his Idibus, omnibus facultatib. Romano fisco addictis, capitali supplicio affectus, in Martyrum numerum est relatus.*

His Idibus, Philippicis inquam, hoc est bene auspicatis Idibus, (omnia enim Philippica, ob vnum hunc nostrum PHILIPPVM, *nobis auspicatißima esse debent) quum formosa Polixena Domini Brederodani filia, inclyto* Ditionis *Santonianæ Domino, Illustris D. Granuellani filio desponsa, secundùm meridiem, à Principis Aula, ad Reuerendiss. D. Episcopi Atrebateñ, qui sponso germanus est frater, deduceretur diuersorium, hoc est ad amplißimas Fuggerorum ædes: deduceretur inquam, illustri comitantib. eam Pompa, ipso* PRINCIPE, *Franciæque Hungariæque Reginis, multorum Heroum ac Procerum accedente multitudine, Ecce vbi ad .CC. fermè passus, in id forum*

scil

ſcilicet, quod ante ædes Monetarias ſitum, vocatur Litus, ſeu potius Ripa, peruentum eſſet: ſtabant in Sponſi, Sponſæque gratiam paratæ, geminæ ad equeſtre certamen bene inſtructæ acies: Stabant autem abſque tentorijs, abſque ſeptis, aperto campo, præfulgentibus armis, ſumptuoſiſsimis paludamentis, ſublimibus, pulchreque phaleratis equis valde ſpectabiles. Erant verò vtrinque ad confligendum accincti, ab hac quidem parte duodecim, ab illa autem totidem viri equites bellatores, longis acuto ferro haſtis terribiles, denſis hinc & inde alis, ex .C. ſclopetariorum præſidio contractis muniti. Tandem autem dato prælij ſigno, expeditis haſtis, aptatis galeis, datis equis calcaribus, laxatiſque habenis, ineunt certamen: grauiter concurritur, fit acris pugna, variuſque conflictus, concuſſa ſonant arma, fractæ in partes volant per aërem haſtæ: expandunt ſe alæ, prorumpunt quinquaginta hinc, quinquaginta illinc creberrimo cum ſonitu, denſoque fumo, & continuis ignium flammis latrantia Sclopeta. Tum variè acclamante populo, clangentibus tubis, frementibus equis, tinnientibus armis, crepitantibus haſtis, latrantibus, fumantibus, fulminantibus Sclopetis: mira fit cum ingenti & plauſu, & Martij ſpectaculi voluptate, confuſio. Tandem dirempto certamine, ſolutaque acie, ducta inde cum ſplendidiſſimo PRINCIPIS, REGINARVMq; comitatu SPONSA, diſceſſum eſt.

Et hæc quidem Idibus Philippicis acta.

LVDVS GLADIATORIVS.



Oſtridie, hoc eſt Feſto exaltatæ Crucis die, quo die Sol ingreditur Libram, quæ lucis ſomnique pares (vt ait Maro) conficit horas: CÆSAR, FILIVSq;, & vniuerſi Principum, Ducum, Comitum, Procerumque ordines, longiſsimo ductu, maximo populi accurſu, ad magnam Diuæ Virginis ædem pietatis gratia ſe conferunt: peraguntur ſacra: reditur in Regiam: à meridie conuenitur in forum: ibi, in temporariæ illius Aulæ tribunali, auguſtiſsimè ad hoc ordinato, ſpectante CÆSARE, PRINCIPE Filio, vtriſque Reginis, Heroum quoque & Procerum multiplici conſeſſu, ac etiam vniuerſo populo, pedeſtri certamine ſtrictis gladiis diu varieque certatum eſt. Eius certaminis fuere capita, quatuor Prouinciæ Brabantiacæ Illuſtres Heroes, nempe

MARCHIO BERGENSIS,
COMES HOCHSTRATEN.
COMES HORNEN.
COMES MEGHEMII.

Ex his in geminas parteis diuiſis, bini vtrinque conſtituebantur Ductores, qui pugnam prouocarent: habebant enim vtrinque bene inſtructam ex

Nobilium hominum numero gladiatoriam suam cohortem: Erant autem omnes & pulcherrimis armis, & sumptuosissimo ex auro, argentoque ornatu insigniter decori. Stabant verò in magno quadrato septo, Aliisq; atque aliis subinde superuenientibus, acriter dimicabant vsque ad vesperam.

RVRSVM LVDVS HASTARIVS.


Ecimo septimo Cal. Octob. nimirum postremo omnium spectaculorum ludorumque die, qui erat Dominicus, postridie exaltatæ crucis, rursum pari fastu itur ad sacra, reditur in Regiam, ac deinde à meridie rursum conuenitur in forum, vbi CÆSARE, FILIO, *& vtrisque* REGINIS, *in tribunali illo considentibus, reliquisque Principibus atque Heroibus adsistentibus, splendidissimo apparatu, atque incredibili sumptu, exhibiti sunt festiuissimi hastarum ludi. Quorum ludorum, ab vna quidem Illustrissimus* PRINCEPS PEDEMONTANVS, *ab altera verò parte* FLORENTIVS MONTMORANTIVS, *Humbermontij Dominus, lecti erant Ductores. Habebat autem* PEDEMONTANVS *cum suis asseclis, pro tessera, colorem in omni suo ornatu croceum, carneum, & violaceum, qui colores* PRINCIPI *nostro sunt peculiares:* HVMBERMONTIVS *verò, candidum & rubrum.*

Fuerant verò antea ad hoc munus designati Illustris COMES AREMBERGII, *ditionis Barbansonij Dominus: & inclytus* D. IACOBVS AB HARBAIS, CÆSARI *à cubiculis: Marchio Antuerpiensis. Sed dum hi in celebratissimis illis, quos Sereniss. Hungariæ Regina* MARIA, *in* PRINCIPIS *Nepotis gratiam Bincij instituerat, cuiusuis eius generis ludis, quorum & ipsi quoque tum Ductores erant, vtrique grauissimè vulnerati essent, non potuêre Antuerpiæ obire munus, cui (vt iam diximus) antea designati fuerant: Quare & vtriusq; illorum honoris, & nostræ Reipub. gratia, Illustriss.* PRINCEPS PEDEMONTANVS *loco inclyti Harbaisij:* HVMBERMONTIVS *verò Comitis Arembergij nomine peragendis ludis suscepêre partes, Iisdem tesseris & colorum distinctione, quibus illi vsuri fuerant, nempe superius indicatis.*

Ipse verò PRINCEPS NOSTER, *(pro singulari, hoc est planè Heroica sua benignitate) & ludum, & hanc vrbem illustrius honoraturus, se adiungit parti Principis Pedemontani, vnaque iisdem coloribus, eodemque ornatu, dignatus est in harenam prodire.*

Porro Principis Pedemontani Asseclæ, (excipio PRINCIPEM *nostrum, qui, etsi cum alijs duodenarium confecerit numerum, merito tamen ipso Ductore habebatur potior) fuere hi:*

COMES Egmondeñ.
COMES Mansueldeñ.
COMES Hochstrateñ.

DN.

DN. De Chieures.
DN. De Noyelles.
DN. De Traisegnies.
BARO De Courlaou.
DN. De Peloux.
DN. De Lambert.
DON Loys çapata.
DON Loys Mendez De Haro.

COMITEM verò Arembergium sequuti sunt hi:

COMES Horneñ.
MARCHIO Bergeñ.
COMES De Meghem.
DN. De Monceau.
DN. De Chantonnay.
DON Loys de Caruaial.
DON Ioan Dacuna.
DON Diago Dacuna.
DON Garcia de Ayala.
DON Francisco de Mendoça.
DON Hernando de la Cerda.
DON Diago da Seuedo.

Singuli autem tam Asseclæ quàm Ductores, *atque in primis ipse* PRINCEPS, *binos habebant etiam ex nobilitate Insignium quisque suorum Gestores, binosque ab equis, totidemque à pedibus ministros.*

Ornatus omnium in genere erat ex puri auri argentique tæla, intertextis cuiusque Ductoris coloribus, raro splendore, incomparabili sumptu, supra modum magnificus.

Cùm nostrum igitur forum ab Oriente in Occidentem longius sit quàm latum, posita fuère in longitudinem quaterna septa, (huiusmodi ludorum periti listas appellant) intra quorum quidem medium, currerent hastis certaturi, inter extrema verò (vt à populi compressione essent tutiores) adcurrerent Insignium Gestores, & ab equis, & à pedibus ministri. Erant autem septa ista satis longa, & bene sumptuosa, in quorum singulis extremitatibus, & Ductorum in longis hastis cum eorundem Insignibus vexilla, & suis coloribus distincta stabant fixa tentoria.

Hinc (vbi tempus) certaturi prodeunt, clangunt tubæ, velluntur hastæ, vrgentur calcaribus equi, adcurrunt vtrinque Equites peditesque ministri, cuique certaturo sua præferuntur Insignia, vt scilicet galeis tecti facilius dinoscerentur: acrius incitati equi volare videntur: alteri alteris summo conatu

infestis hastis obuiam eunt, concussa sonant arma, decussæ galeis volant cristæ, Sicque alteris subinde succedentibus alteris, ad horas aliquot acriter certatum est. Porro cùm perstrennuè se gessissent omnes, ipse tamen PRINCEPS NOSTER, *magno omnium, maximè verò gaudentis Patris applausu, inter eos facile primas obtinuit.*

Erat è regione tribunalis, vbi Cæsar ludos spectabat, ad alterum fori latus, suggestum peramplum, elegans, & sumptuosum, Hispani Cadahalcum appellant, in eo suggesto, pulchro quidem ordine, sedebant Viri Illustres, qui velut ludorum arbitri, de attribuendis honoribus decernerent.

Figebantur autem pro fronte eius suggesti, suo quæque ordine, singulorum qui hasta certauerant, insignia, quæ pòst, inde translata, in Æde Senatoria, atque adeò in ipso Senatu posita, venturæ posteritati, in huius celebritatis memoriam, visenda seruantur.

EPVLVM.



Nterea autem appetente iam vespera, paratur in Aula illa temporaria epulum, omnis generis ferculorum copia elegantiáque ita instructum, & Illustrium Conuiuarum magnitudine tam celebre, vt nihil quidquam augustius, sumptuosius, delicatius, absolutius excogitari posse videretur. Tandem stratis rite mensis, positis, ornatisque pro cuiusque dignitate sedilibus, iucundè fulgentibus tota Aula lychnis, discumbitur, mirifica hilaritate cœnatur: Ornant mensas, (pro insigni ipsorum quidem benignitate eò venire non fastiditi) (Magistratus enim inuitauerat) IPSE CÆSAR, IPSA FRANCIÆ, IPSA HVNGARIÆ REGINA, IPSE NOSTER PRINCEPS, *Princeps Pedemontanus, Geminæ Brunsuicanæ Duces, Dux Albæ, plurimique bono numero alij viri, Duces, Comes, Heroes & Heroinæ.*

Secundæ Mensæ.

P*Orro facta iam Cœna, remotisque epulis, secundæ apparantur mensæ. Miræ hic palati, miræ oculorum deliciæ, omnia vasa, lances, patinæ, crateres, quadræ, ex mero idq; candidissimo (auro hic illic suauiter intersparso) constabant saccarro. Hîc cernere erat mille tragemata, mille dulciaria; omnigenum fructuum genera, aut naturalia, saccaro lepidissimè condita, aut prorsus saccaracea, naturam arte imitantia: variæ denique animalium, aliarumque rerum saccaraceæ formæ, quæ spectantum animos in stuporem trahebant: Et hæc quidem & si copiosissima, multò tamen plura, cumulatioráque restabant subministranda, ni Cæsar (cùm iam multum processisset noctis) vel suæ ipsius, vel illustrium mulierum, quæ eò quoque conuenerant plurimæ, commoditatis gratia, secus imperasset. Cunctis igitur sublatis, indultum est, (Aulica consuetudine) lusibus, iocisque, mollibusque choræis.*

MIRIFICVS APPARATVS.

SPECTACVLVM nocturnum.



CCE autem interea, nouum & visu rarum spectaculum. Stabat in foro fixa, iustæ proceritatis factitia arbor, numerosis ramis, virentibusque foliis, fructibusque bene fœcunda: quam iuxta stabant nudi ex ligneis truncis, artifici manu cælati, inductoque colore, viuis similes, hinc ADAMVS, *illinc* EVA, *communi corporis humani statura: Inter quos medius arbori inhærens, magnus, squammarum densitate horribilis serpens: Porrò erant & singula illorum membra, & singula arboris folia, simul & poma, intus caua, minutis referta sclopetulis, occultè infuso tormentario puluere tumentibus, idque tanta industria factum, vt (præsertim per nocturna lumina) valde difficile à quouis deprenderetur: Dum verò cuncti oculos eò intenderent, ecce de improuiso exigua à mulieris Euæ pedibus subrepens flammula, occulto quodam meatu in aluum penetrat, diffinditur horrifico crepitu aluus, centum inde erumpentibus hinc illinc flammulis, quæ mox in Adamum, pòst in serpentem, postremò in totam arborem grassantes desæuiunt: crepat Adamus, crepat serpens, crepant singula accensæ arboris folia, fit confusus per omnia stridor, creberrimus stridor, terrificus stridor: iam tota ferè igni absumpta EVA, totus ardet Adamus, totus in fauillam abit serpens: tota tot simul ignibus, quot inerant folia, flagrat arbor: vidisses vno momento mille rutilare ignes, mille vibrari flammas: audisses vno ferè impetu mille acriter stridentium sclopetulorum crepitus. Propius adstantes & repentino & tam crebro ignium, sclopetulorumq; stridore attoniti, alij summo metu præhensi confusa velut strage cecidêre in terram, se suffocari, sibi colla, brachia, manus, tibias confringi vociferantes: alij simili timore acti, longius inde fugitabant, se mutuò inter fugitandum grauiter compressantes, nec minus se ex compreßione lædi acerbè clamitantes.*

P*Orrò & hoc spectaculum, & tam Heroicum illud epulum, tamque illustres & gladiis & hastis acti ludi, reliquusque omnis tam triumphalis apparatus, (excipio priuatos à Mercatoribus Principi factos honores) vel sola pia Magistratuum populique volentis liberalitate, sumptu inæstimabili, gratuitò exhibita fuere.*

E*T hîc quidem omnium (per quinque dies) ludorum, spectaculorum, & apparatuum* FINIS. *Faxit DEVS OPT. MAX. (quandoquidem hæc ex puriſsimo erga* PRINCIPEM *fluxerunt amore) vt hoc memorabili amoris auspicio, continuum illius velut optimi Patris erga cariſsimos filios, (quod & maximè optamus, & nobis certò futurum persuademus,) in multos Annos experiamur amorem.*

HAEC OMNIA,

PRIMVM PVBLICIS COMITIIS, SENATVI, POPVLOQVE ANTVERP. PROPOSITA, LAODISLAO VRSVLO, ET HENRICO BERCHEMIO, EQVITIB. AVR. COSS. DEINDE, NICOLAO MERANO, ET IACOBO HERTZIO, EQQ. AVR. COSS. DECRETA, CONFECTA, EXHIBITAQVE.

CORNELIVS GRAPHEVS, A SECRETIS, CVNCTA FERE QVÆ AD ARCVVM, PEGMATVM, COLVMNARVM, PICTVRARVM, HISTORIARVM, STATVARVM, PERSONARVMQVE SPECTACVLA ATTINEBANT, (EXCEPTIS GENVATIVM AC HISPANORVM ARCVBVS) SOLERTI INDVSTRIA EXCOGITANDO INVENIT, DISPOSVIT, INSCRIPTIONIBVS ORNAVIT, CHARTACEIS HIS MONIMENTIS IMMORTALITATI COMMENDAVIT.

IACOBVS MASIVS, PENSIONARIVS, (SIC EVM VOCANT, QVI EST SENATVI AB ORATIONIBVS ET CONSILIIS) VTRIVSQVE IVRIS PRVDENTIA, RERVMQVE TRACTANDARVM PERITIA CLARVS, PLÆRAQVE HORVM (SENATVS AVTORITATE PRÆFECTVS) INCREDIBILI SOLLICITVDINE PROCVRAVIT.

Artificum, operariorumq; in HOC TAM CELEBRI APPARATV SVMMA.

RESPVBLICA in toto quidem illo tam multiplici apparatu, vsa est fabris lignariis, sub. XII. præfectis. CCCCC. XXI.
Pictoribus. XXXVII.
Statuariis, Tornatoribusq;. XVI.
Personis in Pegmatibus. C. XXXVII.
Præter alios viliorib. operis destinatos, numero amplius. XXX.

GERMANIS inseruiêre fabri lignarii. XXX.
Pictores. XXIIII.
Viliores mercennarii. XVIII.

HISPANI, (adnumeratis. L. fabris lignariis, ac XXVIII. Pictoribus) habuere in vniuersum operarios. C. XC.

ANGLI, mercede conduxerunt fabros lignarios. C. LI.
Statuarios. XLVI.
Pictores. XLIIII.

FLORENTINI, vsi sunt fabris lignariis. LXXVII.
Pictoribus. XXVIII.
Statuariis. XVIII.

GENVENSES, confecere insignem illum Arcum, adhibitis fabris lignariis. C. LXXXVII.
Pictoribus. LXXII.
Statuariis. XXII.

In vniuersum quidem fuere fabri lignarii. DCCC. XCV.
Pictores. CC. xxxiii.
Reliqui verò opifices. CCCCC. XCVIII.

Summa simul omnium,

M. DCC. XXVI.

Fuere autem hi omnes, huius vrbis ciues, nullis (quæ copia nostris) adhibitis aliunde accitis.

Equitum, peditumq́;, nostrorum numerus.

EQVITES, vt antè notauimus, fuere, DCCC.LXXIX.
Eorundem Anteambulones, CCCC.XVI.
Pedites ad aciem instructi, IIIIM.
Summa simul omnium,
VM.CC.XCV.

QVinque præcipuorum Arcuum triumphalium, quos quinque Nationes, Germañ. Hispañ. Floreñ. Genueñ. & Angl. erexe͂re, sumptus in genere,
XXVIM. DCCC.
Carolæi aurei.

D. Ioannes à Fine, Sacr. Theol. Licen. Plebanus S. Mariæ Antuerp. visitauit: Cancellaria Brabant. approbauit: Philipp. de Lens subsign.
An. M. D. L.
Mense Iunio.

EXCVS. ANTVERPIÆ, PRO PETRO ALOSTEÑ. IMPRESSORE IVRATO, TYPIS ÆGIDII DISTHEMII, AN. M.D.L. MEN. IVN.